PARAPHRASTICAE ELUCIDATIONES IN PSALMOS FERIAE SECUNDAE AD MATUTINUM, ...

Lelio Mangiavini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 — C
19



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

8.31.C.19

Digitized by Google

Digitized by Google

PARAPHRASTICAE ELVCIDATIONES

In Pſalmos Feriae ſecundae ad Matutinum, iuxta Breuiarium Romanum recognitum.

Domni Lælij Magnauini Canonici S. Iuliani, Sacræ Theologiæ Doctoris ex Collegio Patauino, ac Sanctiſsimi Officij Conſultoris in Ciuitate Arimini.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ARIMINI,

Apud Ioannem Symbenium. 1618.

Digitized by Google

Ego Fr. Benedictus Boninus de Braida Sacr. Theol. Lector, preſens opus de mand. adm. R. P. Fr. Maximi Guazzoni Inquiſitoris Ariminen: & Mag. vidi, nihilq; in eo reperi, fidei; & moribus obſtan. quin minus ex hoc Typis mandari non poſſit.

Ego Fr. Benedictus, qui ſupra.

Imprimatur Frater Maximus Guazzonus Inquiſitor Generalis Arimini, &c.

Bernardinus Benedictus Vicarius Generalis.

Digitized by Google

Auguſtino
MAVROCENO
Patritio Veneto.

Integerrimo Abbati, ac Præpoſito Vigilantiſſimo

D. Lælius Magnauinus. P. P. S.

PSALMORVM Liber, cum ſit admirabile opus Spiritus Sancti ab antiquis Patribus ſumma veneratione celebratum, à Chriſto Domino ſæpius in Euangelio confirmatum, ab eius Apoſtolis in fundatione Eccleſiæ Catholicæ publicatum, atq; ab eadem in diuinis laudibus vſu receptum, dieq; noctuq; frequentatum, illum harum Elucidationum laboribus, vt per me fieri potuit, aliquo facilioris doctrinæ lumine illuſtrare propoſui, vt mente attentius, voluntatè deuotius, nec non, & reuerenti geſtu ipſius corporis diuinę laudes à Chriſti fidelibus celebrentur, & pręcipue à viris diuino cultui dedicatis. Quas omnes in lucem prodire pro nunc nolui, ſed has tantumodò ſuper Pſalmos Feriæ ſecundæ ad Matutinum, vt aliorũ cenſura ſcire valeam quiduè boni, quiduè mali contineant, vt poſtea aliæ ſine reprehenſione (ſi poſſibile erit) in publicum apparere valeant. Et has etiam, qualeſcumq; ſint, ſub alio nomine nolui, nec debui in lucem emittere, quam ſub tuo nomine Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Auguſtine, cuius integritatem, pietatẽ, ac religionem, palam teſtatam eſſe voluerunt Summi Pontifices vniuerſæ Reip. Chtiſtianæ, qui te dignitatibus, & honoribus extulerunt diuerſo tempore, vt non ſolum adminiſtrares Abbatiam Sancti Galli in Prouincia Foris Iulij ſub imperio D. Venetorum,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam Præpoſituram Eccleſiæ collegiatæ S. Nazarij in Ciuitate Brixiæ; ſed vlterius quouſq; Romam acceſiſti, inter Honorarios Præpoſitos cubiculi Sanctiſsimi Domini Noſtri ſemper adſcriptus fuiſti. Quibus rationibus hanc alteram ex parte mei addere intendo, cum, & ego reipſa te pluries agnouerim, vt non ſolum tua ſingulari integritate mei ſemper extitiſti beneficus adiutor in proſperis, ſed eò magis acerrimus protector in aduerſis, quæ multa equidem fuere, & grauia. Pro nunc igitur tua admirabili humanitate has accipe Elucidationes, quouſq; & aliæ, quæ pariter ſunt tui iuris, in conſpectu omnium videantur; meq; interim tua vigilanti, atq; aſsidua protectione commendatum habeas. Datum Arimini in Monaſterio noſtro Sancti Iuliani. Die 16. Menſis Decembris.

Digitized by Google

De Angelorum gaudio in alacritate Pſallentium iuxta doctrinam D. Laurentij Iuſtiniani Venetiarum Protopatriarchæ.

AB ipſis quoq; Sanctis Angelis, qui coram cœlorum Rege ſolennes indeſinenter exercent excubias, & promunt laudes cœleſtium cantionum, toties abijciuntur, quoties negligenter pronunciantur. Hi etenim ſuperni ciues, & ſancta agmina interſunt choris laudantiũ, exultant in laudibus pſallentium; ſi tamen diſtinctè, ſi attentè, ſi vigilanter, ſi ardenter, ſi concorditer, ſi humiliter dicantur. Diſcurrunt namq; inter illos, vt potè ipſorum conciues, & conſortes regni. Comprimunt, & immundorum ſpirituum impetus, nec eos ſæuire patiantur tanquam fideles cuſtodes. Nunc aſcendunt, nunc deſcendunt ad illorum profectum. Vbiq; vero alacres ſunt, vbiq; feſtiui, vbiq; ſolliciti, ne diuina interrũpatur laus, ne cœleſtia cantica maculentur. At, ſi vel ad momentum tepeſcat affectus, diſtrahatur animus aut dormitet oculus, illico indignantur, ſic oſcitantes, & non inuenientes quid offerant, ſuam mox præſentiam ſubtrahũt. Verecundum igitur, & valde perniciosũ eſt in conſpectu tãtorum principum irreuerenter pſallere, verba intercidere, innutiles cogitationes tractare, & corde torpeſcere.

O ſi pręſentiam ſuam propalare valerent, ò ſi quantum congaudeant de puritate alacriter pſallentium, eis liceret oſtendere prorſus omnis torpor abſcederet, omniſq; ignauia fugaretur, Venuſtus namq; aſpectus, & ſuauis ipſorum affatus cunctam animi depellunt triſtitiam, atq; indecibilem intuentibus conferunt iucunditatem. Rutilant omni immortalitatis candore veſtiti, nec minus fulgent charitatis diademate redimiti; Si illorum exquiratur ſapientia, ſciunt omnia, quæ ſcienda ſunt, ſi eorum gloria contẽpletur, omnem prorſus tranſcendit humanum intellectum. Nam ſiue eleuentur per admirationis contemplationem ſupra ſe, ſiue per ſui cuſtodiam firmentur in ſe, ſiuè per dilectionẽ proximi deſcendant ſub ſe, Dei ſemper viſione fruuntur, Dei delitijs paſcuntur, Dei dulcedine inebriantur. Celebritas illorũ nullo clauditur fine, nullo euentu variatur, nullis momentis interrumpitur; vinculis

namq;

Digitized by Google

namque perfectæ charitatis aſtricti, nulla valent ratione ab amplexibus conditoris diuelli.

Veneremur itaq; dilectiſſimi, cum in Eccleſia Dei pſallimus, cum in Diuinis occupamur laudibus cœli ciues, & Sanctos Angelos. Veneremur, inquam, Senatores ſupernæ Hieruſalem, & cum ipſis pure, alacriter, & ſolenniter ſemper in corde ac iugiter ore Domino decantemus. Indecorum valde eſt præſentibus Angelorum cœtibus pſallere negligenter, atq; verba ſacri carminis arido corde promere. Proinde in diuinis officijs ardeat affectus, clamet vox, vigilent oculi, & vita concordet, vt merito dicere valeamus: In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine.

Quid autem ſublimius in hac peregrinatione celebrari poteſt, quam pari conſortio Angelorum in Dei laudibus occupari? Quid dulcius, quiduè ſuauius cogitari poteſt, quam in terra agere, quod Sanctorum conciues, & beata cœlorum agmina in excelſis perficiunt? Illis beatis ſpiritibus ſine interuallo, nobis autem certis temporibus huic tam ſtrenuo operi vacare licet; quia illi reuelata facie, nos autem ſub ſpecie per fidē, & in ænigmate Dei gloriam contemplamur. Illi nempe, tanquam triūphantis Eccleſię duces honoratiſſimi, & Deo præſentes puras, ignitas, immenſaſq; ſummę Maeſtati offerunt laudes; nos autem puſilli, & debiles, atq; corporis ſarcina per grauati, & peregrinantes à Domino mixtis interpoſitiſque laudibus efferimus conditorem. Sit tamen, & illis, & nobis vna laudandi intentio, par votum, æqua voluntas, quamuis diſpar ſit laus, & gloria. Erimus autem quandoque etiam nos, iuxtà Domini pollicitationem; Sanctis Angelis ſimiles, quando Dominus Ieſus tradiderit regnum Deo Patri, atque euacuauerit omnem principatum, & virtutem. Tunc enim videbimus eum ſicuti eſt, tunc laudabimus perfectè, tunc amabimus ardenter, vacabimus actualiter, inhærebimus indiſſolubiliter, iucundabimur lætanter, ſatiabimur ſufficiēter, & traſformabimur totaliter, Erit namq; tunc Deus omnia in omnibus.

Hæc deſumpta ſunt ex libro de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis Cap. XVII.

Digitized by Google

FERIAE SECVNDAE

PSALMI

Ad Matutinum.

Digitized by Google

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?

Pſalmus XXVI.

IN hoc Pſalmo, qui magis doctrinam ſapit quam hiſtoriam, agitur de mirabili efficacia Diuinæ gratiæ, qua quiſque ornatus efficitur intrepidus contra mala culpę in hac vita, atq; ardens eſt ad appetenda bona gloriæ pro futura vita. — Argumẽtum.

In eo iſta pertractantur 1. Iuſtus dono Diuinæ gratiæ munitus profitetur nullo timore agitari, vt peccata committat, aut tentatione ſingularis perſonæ Dominus illuminatio mea. aut impugnatione ordinatæ acie, ſi conſiſtant. — Partitio.

2 Per idem donum diuinæ gratiæ ardet amore ad æternam beatitudinem. Vnam petij à Domino.

3 Vt inhabitare valeat æternam domum, diuerſas emittit deprecationes. 1. pro illa ardenter exorat. Exaudi Domine vocem meam 2. petit media pro illa obtinenda. Non auertas faciem tuam 3. petit vt remoueantur impedimenta, quibus obſtatur, ne ad illam peruenire veleat. Legem pone mihi.

4 Sperat pro certo eſſe exauditum in ſuis petitionibus, & inhabitare in domo Dei. Credo videre.

Pſalmiſta loquitur in perſona viri iuſti, qui auxilio diuinæ gratiæ ſuffultus illius mirabiles effectus refert, nempe qualiter audax ſit, & fortis, vt peccatis reſiſtat, & qualiter ardens ſit ad æternam patriam appetendam, quibuſue medijs ad eam valeat peruenire poſtulat, & a quibus impedimentis cauere debeat, id pariter a Domino enixe petit, quibus omnibus peractis, ſibi promittit ex credulitate vitam ſempiternam — Perſona

Dominus illuminatio mea; & ſalus mea quem timebo? — Prima pars.

Cum ea ſit ratio humanæ vitę in Eccleſia militante, vt vndiq; circumſepta ſit varijs culparum malis, quorum cauſa vita preſens recte appellatur dies tribulationis; attamen diuinæ gratiæ auxilio munitus dicere, & aſſerere mihi licet contra ipſa mala culpæ; quod Dominus illuminatio mea contra cęcitatem peccati, & ſalus mea contra eiuſdem peccati debilitatem, quem timebo? vt quis ex inimicis meis cadere me faciat in peccatum, aut per ignorantiam veritatis incredendis, & in agendis, aut per impotentiam virium ad

bona agibilia exequenda? profectò nullum timebo. cum nullus meorum hoſtium poſſit contra Dominum, qui ſua ſapientia meum illuminat intellectum, vt videam quæ vera, & recta ſunt, & ſua potentia vires mihi adminiſtrat, vt quæ ſunt recta, facile opere compleam, ac perficiam.

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Amplius, cum præter diuinam illumnationem, & ſalutem pro bono operando, adſit & diuina protectio, ſiue conſeruatio pro eodem bono contra ipſum malum culpæ, ita vt Dominus *ſit* protector, *& cõſeruator* vitæ meæ, *quæ eſt vita gratiæ, & virtutum, tunc* à quo trepidabo? *cum à Domino habeam non ſolum eſſe ad bonum, operandũ per illuminationem, & ſalutem, ſed etiam habeo cõſernationẽ illius eſſe pro eodem bono operando per diuinæ protectionis fauorẽ.*

Dum appropiant ſuper me nocentes; vt edant carnes meas.

Quam diuinam protectionem expertus ſum, & contra tyrannos, qui conſumunt corpora, & contra hæreticos, qui peruertunt animas; contra tyrannos, nã dum appropiãt ſuper me, *ſiue irruunt contra me* nocẽtes *& tyranni,* vt edant carnes meas, *crudelium tormentorum acerbitate, exiſtimantes me a fide catholica apoſtatare, ipſi in* firmati ſunt, & ceciderunt. *& hoc vel in bonum, vel in malum. In bonum. prout ex his, aliqui ad veritatis lumen ſunt mutati; in malum vero, cum alii pertinaces in eorum incrudelitate a Deo grauiter fuerint puniti, & damnati.*

Qui tribulant me inimici mei; ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

Contra hæreticos pariter expertus ſum tuam protectionem, qui inimici mei *dum* tribulant me *ſuis falſis & iniquis dogmatibus, attamen, &* ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. *vel in bonum, vel in malum. In bonum quando infirmati ſunt ab eo, quod falſo defendebant, & ceciderunt, quando colla ſua veritati fidei humiliter ſubmiſerunt. in malum vero infirmati ſunt, dum eorum falſitatibus fuere conuicti, & ceciderunt, dum à veritate fidei catholicæ fuere eiecti in æternam damnationem ipſorum.*

Si conſiſtant aduerſum me caſtra; non timebit cor meum.

Cum igitur res ſic ſe habeat, quod diuina potentia me protegit ab hoſtibus Catholicæ veritatis; non ſolum non timebo ſeparatim ſingulos inimi-

Digitized by Google

inimicos, & aduerſarios meos, ſed neq; ipſa inimicorum caſtra, vt me inuadant, & expugnent; ſic etenim aſſeueranter dico, Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, *vt à fidei veritate, & conſtantia vnquam deſiſtam, ob quæcunq; aduerſa, & attrocia in damnum corporis mei ab inimicis comminata, & tentata.*

Si exurgat aduerſum me prælium; in hoc ego ſperabo.

Ad hæc, ſi caſtra non ſolum quieſcant in tentorijs, ſed ſint in acie ordinata, & prælia̅tia contra me, in hoc ego ſperabo, *nempe in hoc prælio inuiſibili & occulto, ſiue etiam manifeſto, ſperabo me conſequuturum victoriam, & reportaturum triumphum; ita vt protectione diuinę gratiæ nunquam aſſentiam, aut demonum ſuggeſtionibus, aut prauorum hominum tentationibus, aut incentiuis, & facibus iniquorum deſiderioru̅, quibus inducar in tentationem peccati.*

Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Et ſicuti diuinæ gratiæ protectione munitus, omnia à me reieci aduerſa, & omnem peccati à me excluſi timorem, non aliter equidem & eiuſdem gratiæ fauore exarſi amore æternæ beatitudinis; ſic equidem, vnam, *nempe, petitionem* petij à Domino, *& à gratia ſua,* hanc requiram, *me bonis operibus ad illa diſponendo; qua gratia pręmiſſa, & ſimul meis meritis, petam confidenter,* vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meę, *ſiue in æternũ, cum anima vitæ meæ ſit, & ipſa immortalis, & æterna.* Secunda pars.

Vt videam voluptatem Domini; & viſitem templum eius.

In qua æterna domo hæc duo deſidero bona, nempe vt mente videam clarè, & apertè Diuinam Eſſentiam, in qua ſtat fruitio omnis voluptatis, delectationis, & dulcedinis. vt videam voluptatem Domini. *alterum eſt, vt occulis corporeis videam corpus Chriſti diuinitati vnitum,* & viſitem templum eius, *cum illius humanitas fuerit, & eſt templum illius diuinitatis; tunc harum gratiarum fauore indutus ero duplici ſtola, nempe ſtola animæ, per viſionem, & fruitionem Diuinæ Eſſentiæ, & ſtola corporis per viſionem, & fruitionem corporis ipſius Chriſti.*

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo; in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui

Neque ſine fundamento iſta bona ſperando ea poſtulo, nam in die malorum, & tempore præſentis vitæ, in quo regnant mala, & culpæ, & pænæ, dedit mihi fidem ſuæ humanitatis, abſcondit me in tabernaculo ſuo, *qua humanitate tanquam ſacro tabernaculo tegebatur Chriſti diuinitas. dedit etiam mihi fidem ſuæ diuinitatis* protexit me in abſcondito tabernaculi ſui, *ne vllum errorem cõmitterem in ea credenda, cum velata exiſteret in abſcondito ſuæ humanitatis. & vtrumq; mihi dedit, quando dixit, hęc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum patrem, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

In petra exaltauit me; & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.

Neq; ſolum protexit me in his, quæ credenda ſunt de Chriſti humanitate, ac diuinitate, vt in domo Domini inhabitarem, ſed etiam me inſtruxit, vt bona agerem, & mala vitarem. bona agerem. in petra exaltauit me, *cum in ipſo Chriſto, & per Chriſtum proficerem de virtute in virtutem. mala vitarem.* & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos, *ne ratio ipſa, quę eſt caput aliarum potentiarum, dominaretur a prauis motibus, & vitioſis concupiſcẽtijs, quibus humiliarer, ne cæleſtia contemplari valerem.*

Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis; cantabo, & Pſalmum dicam Domino.

Horum bonorum veritate inſtructus, tum de deſiderato fine, tum de medijs ad illum finem conſequendum, ne eſſem inſcius immenſæ bonitati diuinæ, circuiui, *& mente attentius conſideraui, quid ex rebus creatis pro debita gratiarum actione rependerem Deo; & nihil dignius inueniens quam Sacramentum corporis Chriſti, quod eſt pignus æternæ gloriæ, illud publica ſolennitate obtuli, & immolaui in eius eccleſia; ac ita* immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis; *neq; in futurum ero vnquam immemor, ſed corde* cantabo ei, *lætaborq;* in *Domino, &* Pſalmum dicam Domino, *quia voce, & opere gloriam eius alijs prædicabo, vt ſciant, quæ in cælis ſunt ſperanda, quibuſue medijs obtinentur.*

Tertia pars.

Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te; miſerere mei, & exaudi me.

Et mi Domine, cum animi mei deſiderium eò tendat, vt videam voluptatem

ptatem Domini, quo poſſum maiori affectu poſtulo, vt exaudias hanc meam vocem, *& petitionem, ob quam ardenti deſiderio clamaui ad te, vt ibi reipſa perueniam poſt curſum mortalis vitæ; atq; interim,* miſerere mei, *hoc exilium ægre ferentis, cum mihi pugnandum ſit aduerſum motus concupiſcentiæ, quæ me ad peccata incitare non deſinit, atq;* exaudi me, *tuaq; miſericordia libera me ab omni infirmitate naturæ.*

Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea; faciem tuam Domine requiram.

Atq; exaudi me, & dignus ſum exaudiri, qui non ſegniter, ſed ardenter petij, & poſtulaui, vt tibi clarum eſt, tibi dixit cor meum. *& pariter tibi nota eſt deuotio animi mei,* exquiſiuit te, *& non quid aliud,* facies, & *anima* mea *ad tuam ſimilitudinem creata, ac ita exquiſiuit, vt meum ſtudium ſemper eò tendat,* vt faciem *nempe tuæ Diuinæ Eſſnetiæ* Domine requiram, *dum exiſto in hac mortali vita.*

Nō auertas faciem tuam a me; ne declines in ira à ſeruo tuo.

Quam tuam diuinam faciem, vt non ſolum requiram, ſed etiam poſſideam, adminiſtra mihi auxilia gratiæ tuæ, vt bona agam, & peccata effugiam, quemadmodum te ſuum opere precor. bona agā. Nō auertas faciem tuam a me, *quod eſt fauor tuæ Diuinæ gratiæ; peccata effugiam.* ne declines in ira a ſeruo tuo, *hoc eſt, ne ſinas me labi in peccata, in quæ profecto cadā, dum tu declines à me per iram tuam, & mecum adiratus eris.*

Adiutor meus eſto, ne derelinquas me; neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Atq; vt neruar in peccata, te valde deprecor, adiutor meus eſto, *quia proprijs viribus peccata cauere non poſſum; etſi forte peccata commiſerim, te etiam precor,* ne derelinquas me, *& ne cadam in meam libertatem; quia te leuante manum tuam a me ipſo non reſurgam;* neq; deſpicias me, *vt à tua facie, & gratia ſim omnino abiectus, quod erit mihi maioris detrimenti, ſed benigne me ſuſcipe, quia tu es* Deus meus, *qui me tuo conſilio creaſti ad imanginem tuam, &* ſalutaris meus, *qui me tuo ſanguine recuperaſti creatum ad imaginem tuam.*

Digitized by Google

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem aſſumpſit me.

Et valde æquum eſt, vt a te ſolummodo petam adiutorium meum, ne ruar in peccata, quia nemo teipſo eſt mei amantior, atq; meæ ſalutis; cum equidem talis non fuerit pater meus *Adam, neq;* mater mea *Eua, qui ambo* me dereliquerunt, *cùm per eorum peccatum mors tum animæ, tum corporis in omnes pertranſijt; at Dominus tantùmodo* ſuſcepit me, *ſua paſſione me liberando a morte animæ, & ſua reſurrectione me liberando a morte corporis.*

Legem pone mihi Domine in via tua; & dirige me in ſemitã rectam propter inimicos meos.

Secunda adeſt principalis ſupplicatio, ſi faciem tuam requirere habeo, illamq; tutò poſſidere; quæ mea petitio eſt, vt tuam diuinam legem adimplere valeam, & quo ad ſubſtantiam operum, vt quę ſunt per ſe honeſta, & iuſta ſemper agam, Legem pone mihi Domine in via tua; *& quo ad modum agendi, vt ex charitate eam adimpleam,* & dirige me in ſemitam rectam, *nempe, tuæ legis: atq; mi Domine iſta concede,* propter inimicos meos, *tam viſibiles, quam inuiſibiles, qui in mei perniciem corumpere contendunt, & legem tuam, ne bona agam, & ſemitam rectam, vt obliqua intentione illa bona agam.*

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Neque ſine cauſa tuum adiutorium poſtulaui propter inimicos meos, idq; iterum aſſumo, ne tradideris me in animas, *& mala deſideria* tribulantiũ me, *ne, nẽpe, cuſtodiã diuinã legẽ, & eo modo, quo eſt cuſtodienda.* quoniam inſurrexerũt in me teſtes iniqui, *qui falſa pro veris ſuadere conantur, vt me a recta via deuient, & ad iniquitatem, & peccatum me impellant. Sed pro certo teneo,* mentita eſt iniquitas ſibi, *ita vt nemini nocebit, niſi proprio auctori, ſic etenim omne peccatum redijt in ſuum operantem.*

Quarta pars.

Credo videre bona Domini in terra viuentium.

Cum igitur diuina gratia ſim adiutus in credendis, ſperandis, & amãdis bonis æternis, nec non & adſint merita, vt pro iſtis poſtulaui Dominũ, credo videre bona Domini in terra viuentium; *cũ ſpes ſit expectatio futuræ gloriæ proueniẽs à diuina gratia, à &*

meritis

Digitized by Google

meritis humanis, quæ pro illis bonis facta ſunt proportionata diuino ſumper fauore, qui ſua virtute, & benediſtione in nobis coronat opera ſua,

Expecta Dominum, viriliter age; & confortetur cor tuum, & ſuſtine Domininum.

Et ſicut ego ex credulitate certus ſum de beatitudine æternæ vitæ, ita & tu anima mea in hoc corſu mortalis vitæ has āplectare virtutes, nempæ confidentiam in Domino, expecta Dominum, *qui non fallit, ſed verax eſt, & fidelis; pacientiam in malis tolerandis,* viriliter age, *æquo, & forti animo; nec & tolerantiam in dictis malis,* & confortetur cor tuum, *quia ſunt ſigna, & pignora pro æterna gloria; & vltimo præ omnibus, nnmquam dimittas diuinum amorem,* & ſuſtine Dominum, *ipſum in omnibus, & ſuper omnia ſemper diligendo.*

Digitized by Google

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas a me, ne quando taceas a me; & aſsimilabor deſcendentibus in lacum.

PSALMVS XXVII.

Argum. *IN hoc Pſalmo, qui eſt totus propheticus, agitur de celeri Chriſti Domini reſurrectione, in ſantificationem Eccleſię Chatolicæ, vt omnes fideles credant illum eſſe Deum, & hominem; & in confuſionem Synagogæ Iudęorum, vt videant illum mortem ſuſcipiſſe ex libera voluntate, non autem ex eorum violentia, & malitia.*

Partitio *In eo iſta pertractat Pſalmiſta pro Chriſto. 1. premttit duas poſtulationes, quarum prima eſt, vt illius mors ſit cōiuncta cum cæleri reſurrectione* Ad te Domine clamabo, *altera eſt, vt illius mors ſit ſeiuncta a morte peccatorum* Ne ſimul trahas me.

2 *Gratias Deo Patri agit, pro exauditione vtriuſq; petitionis, & 1. pro ſecunda,* Benedictus *poſtea* Dominus. *pro prima.* & in ipſo ſperauit cor meum.

3 *Orat Patrem pro ſua Eccleſia, vt eam iuſtificet a peccatis, conſeruet in gratia, & tandem eleuet ad gloriam.* Saluum fac populum tuum.

Perſona. *Pſalmiſta loquitur ſemper in perſona Chriſti in cruce pendentis, dum Patrem ſuum orat, & pro ſe ipſo petens ab eo, quæ ſuperius ſunt notata in partitione, ac etiam pro eius Eccleſia, nempe pro completa eius ſalute in vitam æternam; quia vbi reſidet caput, æquum eſt, vt ibi reſideat illius corpus.*

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas a me, ne quando taceas a me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.

O mi Domine, cum longe proſpicerem, quæ penitus neceßaria ſunt pro fundamentis Eccleſiæ meæ edifidandæ, nempe, vt fideles omnes credant me eſſe Deum, & hominem; nec non, & hominem iuſtum, & ſanctum, nunc in Cruce pendens expanſis ad te manibus. Ad te Domine clamabo, *has meas ad te emittens petitiones; quarum prima his profertur a me uerbis,* Deus meus ne ſileas a me, *nēpe, o Deus meus, cuius diuinitati per unionem hypoſtaticā ſum unitus, te precor,* ne ſileas a me, *ne uerbi tui unitas in mea morte ſit a mea*

humani-

humanitate ſeparata, ne quando taceas a me, *neq; ad horam ſiue per aliquod momentum id permittas, ſed penitus a me ſit inſeparabilis, & quo ad animam meam in limbo, & quo ad corpus meum in ſepulchro; & hoc ualde eſt neceſſarium, nam quotieſcunq; vnionem diuinā a mea humanitate ſeparaueris*, aſſimilabor deſcendentibus in lacum, *& per omnia ſimilis ero cæteris mortalibus, qui quando moriuntur, ad inferos deſcendunt ſine ulla ſpe reſurgendi niſi in nouiſſimo die.*

Exaudi Domine vocē deprecationis meæ, dum oro ad te: dū extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Quod ne unquam fiat, te ualde deprecor, exaudi vocē depcationis meæ, dum oro ad te *in paſſione mea cum clamore ualido pro ſalute totius mundi*, & dum extollo manus meas *in cruce extenſas* ad templum ſanctum tuum, *quod eſt Eccleſia fidelium, ut ea per paſſionē, & reſurrectionem meam ſaluetur; quod facile eueniet. dum credit me eſſe uerum hominem in paſſione, & uerum Deum in reſurrectione; quod equidem pro certo tenebit, dum uiderit me in lacum non deſcendere, ſed breui ac celeriter a mortuis reſurgere.*

Ne ſimul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Præter celeris reſurrectionis petitionem, Ad te Domine clamabo iterū, pro hac ſecunda mea petitione, ne me trahas in numerum peccatorum, ut reum mortis, qui peccatum non feci in Deum, ne ue punias me, ut debitorem mortis, cum neq; dolus inuentus ſit in ore meo contra proximum; Non equidem primum, Ne ſimul ttahas me cū peccatoribus, *qui ob eorum peccata in Deum mortem ipſam effugerem nequeunt, tamq; obnoxij mortis. Non ſecundum.* & cum operantibus iniquitatem *ſiue iniqua* ne perdas me; *qui pariter mortis imperio ſubijciuntur ob illorum ſcelera in proximos; ſed ab his omnibus ſim ſeparatus, nam illi moriuntur propter peccatum, ego ſine peccato, illi moriuntur ex neceſſitate, ego ex uoluntate, illi moriuntur & anima, & corpore, ego ſolum corpore.*

Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo; mala autem in cordibus eorum.

Et ualde neceſſarium eſt, vt omnibus pateſiat, me non eſſe debitorem mortis in confuſionem Iudæorum inimicorum meorum, qui monſtrantes me bene uelle loquuntur pacem cum proximo ſuo, *qui*

tam ego illorum proximus ſecundum carnem; quam aſſumpſi ex ſanguine Iudaico, malitia autem, & dolus eſt in cogitationibus ſuis. mala autem in cordibus eorum,*uolentes mihi inferre mortem, ita,ut non tantum ego penitus peream ex uiolentia ſm̄ illorum opinionem, ſed etiam ex conſequenti totius mundi ſalus abſumpta ſit, cum nomen, & fidem meam una cum mea uita perire exiſtimant, & contendunt.*

Da illis ſecundum opera eorum; & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum.

Secunda pars

At tu Domine, ex debito iuſtitiæ permittere non debes horum doloritates,& malitias ire impunitas, cum uniuerſæ iuſtitiæ ſit, punire delinquentes; ſed da illis condignam retributionem, & ſecundum malum culpæ,& ſm̄ modum mali culpæ ab eis comiſſę. Secũdũ malum culpæ, quod fuit mors mibi ab eis illata, Da illis ſecundum opera eorum, *& puni eos flagellis, & plagis. ſecundum modum culpæ, quod fuit eorum praua uoluntas in mortem meam,* & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum. *hoc eſt ſecundum iniqua ſtudia,& malignos eorum cogitatus. Nã ſicuti excogitarunt uarios modos uexandi me iuſtum, ita tu per ſapientiam tuam inuenies varios modos excruciandi hos in me peccatores.*

Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde tributionem eorum ipſis.

*Amplius,quia non ſolũ ex prauitate cogitauerunt cõn me mala,& mortem inferre,ſed etiam mihi malum reddiderunt ſine iuſta cauſa,quia mala reddiderunt bonis a me toties illis impenſis, te iterum precor, cum id ſcelus ſit prętér alios modos retributionis magisgraue,*ſecundũ opera manuũ eorũ tribue illis, *nempe, pro malis mala; qa talis eſt iuſta retributio illis, vt mala, quę mihi,& meis bonis intulerunt, puniantur alijs malis,*redde retributionẽ ipſorum ipſis:

Quoniam non intellexerunt opera Domini; & in opera manuum eius deſtrues illos, & non ædificabis eos.

Atque meritos, & dignos omni graui punitione ſe ipſos declararunt, Quoniam non intellexerunt *opera Domini;quæ eminenter continentur in eo mirabili opere, quod eſt ſumma omnium operum Domini,nempe,quod Verbum caro factum eſt; ad quam incarnationem conſiderandam non applicarunt animum, quæ tamen pro eorum ſalute prę cipue facta erat. Sed maioris etiam eſt ſtuporis, quod*

non

non intellexerunt in opera eius, quę faciebat, ſanando ęgrotos, ſuſcitando mortuos, peccata dimittendo, ſecreta cordium reuelando, quibus mirabilibus ſe declarabat eſſe uerum Deum, & unicum filium Dei. Quo circa cum illorum ignorantia ſit inexcuſabilis, quę ortum habet ex prauitate, deſtrues eos, *ſi in obſtinatione obdureſcunt,* & non ædificabis eos *liberando a captiuitate, ut alias a te factum eſt, neq; in tuam Eccleſiam catholicam congregabis.*

Benedictus Dominus; quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.

Et cum ea, quę poſtulaui, pro certo ſciam eſſe completa, pro illorum debita gratiarum actione his paucis uerbis erga te Deum Patrem oſtendam me gratum, & memorem, Benedictus Dominus, *ucmpe, Pater meus, & ab omnibus pariter ſit benedictus, & ſanctificatus,* quoniam exaudiuit vocem, *& uoluntatem* deprecationis meæ, *ne moriar, ut debitor mortis propter peccatum, ſed ut ſuſceptor mortis ex uoluntate mea pro aliorum ſalute.*

Dominus adiutor meus & protector meus: in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.

Exaudiuit me Dominus ſua benignitate, & clementia, qui vt adiutor meus *nō trahet me cum peccatoribus, qui moriuntur ex neceſſitate,* & vt protector meus *non perdet me cum operantibus iniqua, qui moriuntur & anima, & corpore. Amplius,* in ipſo ſperauit cor meuum, *ſumma confidentia pro mea prima petitione,* & adiutus ſum *pariter in iſta.*

Et refloruit caro mea; & ex voluntate mea confitebor ei.

Et ecce apertus effectus diuinij auxilij pro celeri reſurrectione, quando caro mea, qua per mortem exaruerat, non tantum redijt ad uitam, ſed ad florem ętatis letitię, & uenuſtatis, refloruit caro mea, *cum de tumulo reſurrexi impaſſibilis, immortalis, & glorioſus. Quo immenſo, & ſingulari beneficio,* ex libera voluntate, *& toto corde* confitebor ei *publica confeſſione laudis, & gratiarum actionis, & pariter mei fideles confitebuntur illi, in quibus ſum per gratiam.*

Dominus fortitudo plebis ſuæ; & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.

Et horum confeſſionis materia his expletur laudibus in gloriam Dei Patris, Chriſtus cito reſurrexit, Chriſtus glorioſe reſurrexit. Breui

ſuit illius reſurrectio. Dominns fortitudo plebis ſuæ, *quia protexit ſalutem Chriſti, qui eſt caput totius plebis Chriſtianę, cum illius caro mortua non fuit corrupta, ſanguis eſſuſus non perijt, anima corpori, & ſanguis uenis quaſi ſtatim fuit reſtitutus. Glorioſa fuit illius reſurrectio, &* protector ſaluationũ Chriſti *ſui eſt. quia reſurrexit immortalis, impaſſibilis, agilis, & omni ſplendore fulgidus atque clarus.*

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ; & rege eos, & extolle illos vſque in æternum.

Cum autem quæ deſideraui de mea reſurrectione a te obtinui, mi Domine, te etiam precor pro fidelibus meis Chriſtianis, ut a peccatis ſint mundi, ſaluum fac populum tuum, *ut in uirtutibus proficiant, & meritisq; ditentur,* & benedic hęreditati tuę, *neq; unquam deuiant a uia iuſtitię,* & rege eos, *ac tandem ad gloriam ęternam perueniant,* & extolle illos *a miſeria ſeculi ad gloriam cæli* vſque in æternum.

Afferte Domino filij Dei afferte; Domino filios arietum.

Pſalmus XXVIII.

IN hoc Pſalmo, qui ſecundum ſenſum propheticum exponitur, agitur de diuerſitate gratiarum, ac beneficiorum, quę Dominus ſingulariter contulit Eccleſię Catholicæ in eius fundatione, & conſeruatione. Argum.

In eo iſta pertractat Pſalmiſta 1. Inuitat, & hortatur fideles, vt pro debita gratiarum actione ſint munditia ornati ante Dominum. Afferte Domino. atq; inſigniti bonis operibus. Afferte Domino gloriam. Partitio

2 Enumerat diuerſa beneficia Eccleſię collata à Domino; quę ſunt octo, nempe, ordinatio Sacramenti Baptiſmatis. Vox Domini ſuper aquas. diuulgatio fidei catholicę. vox Domini in virtute. operatio miraculorum. vox Domini in magnificentia: ſubiectio terrenorū principum. vox Dn̄i confringentis. defenſio pro Sanctis contra eorum perſequutores. Vox Domini intercidentis. gentilium conuerſio. vox Domini concutientis. illuminatio doctorum contra hęreticos. Vox Domini pręparantis. ſollicitudo pro ſanctis, & electis contra tentationes. Dominus diluuium inhabitare facit.

Pſalmiſta loquitur in perſona propria, & pręuidens quę & quāta beneficia contulerit Dn̄s Eccleſię ab eo ędificandæ ex collectione Iudęorū, & Gentiliū, hortatur illius fideles, ne ſint ingrati Domino, & vacui ante eum, ſed ſe ipſos offerant immaculatos in ſpiritualem oblationem pro debita gratiarum actione, atq; etiam offerrant eorum bona opera, verba, & exempla, quæ alijs præſtare debent in eorum ędificationem ſpiritualem. Perſona

Afferte Domino filij Dei; afferte Domino filios arietum. Prima pars.

O vos populi, & fideles, qui per regenerationis gratiam facti eſtis filij Dei, quæ veſtri eſt ſumma & ſuprema dignitas, pro aliqua ſignificatione animi grati ob tanta beneficia, quę vobis in Eccleſia ſua, cuius membra facti eſtis, contulit ipſe Dominus, nunquam apparete in conſpectu eius vacui, ſed Afferte Domino, *& aliquid, vti vobis pręceptum eſt ab eo; & ante omnia vos ipſos in conſpectu tantæ maieſtatis afferte mundos corde, puros conſcientia tanquam immaculatos*

tos

tos agnos, afferte Domino filios arietum. *cum vos per euangelium Deo genuerunt Apoſtoli Sancti, qui fuere vt arietes, & duces gregis fidelium, & pro eorum ſalute preualuerunt contra hæreticos, auctoritatibus vtriuſque teſtamenti tanquam duobus cornibus, nec non, & dura frõte diruerunt omnes falſitates, & ſuperſtitiones Idolorum.*

Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Et attendite, quod cum immaculata cordis veſtri oblatione ſint coniuncta opera bona, & humiliatio in Deũ, & ſubiectio ad Dominum. adſint opera veſtra, afferte Domino gloriam, & honorem, *dum a vobis, & in vobis glorificatur Dominus verbis, & honoratur exemplis in ſantificationem aliorum. adſit humiliatio veſtra,* afferte Domino gloriam nomini eius. *nil boni vobis attribuentes, aut veſtris meritis, nihilq́; de vobis praſumitis, ſed omnia bona ab eo recognoſcite, & illi referte accepta. adſit ſubiectio veſtra,* adorate Dominum in atrio ſancto eius, *nempe in atrio ſpirituali cordis veſtri; quod iure merito efficitur atrium ſanctum Domini, quando ex charitate, qua dilatat corda, & replet vos ſanctitate, adoratis Dominum.*

Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit; Dominus ſuper aquas multas.

Secunda pars.

Et iuſtis de cauſis afferte Domino gloriam, & honorem, quoniam inter beneficia, quæ vobis contulit Dominus, hoc primum ocurrit, nempe, oblatio Baptiſmi, cuius virtute fideles efficiuntur, & declarantur viua membra Chriſti, & eius Sanctæ Eccleſiæ; etenim Vox Domini, *nempe, Patris* facta eſt ſuper aquas *Iordanis in Baptiſmate Chriſti, & tunc* Deus maieſtatis, *& excelſæ virtutis* intonuit *ea auctoritate, qua non eſt maior, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, a quo, nempe, eſt omnis ſalus, & extra quem nulla eſt ſalus. Et tunc etiam* Dominus ſuper aquas multas, *quia omnibus aquis, eo intonitu, data eſt virtus regeneratiua in innocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, pro initio ſalutis omnium credentium in Chriſtum Dominum.*

Vox Domini in virtute; vox Domini in magnificentia.

Secundum beneficium eſt diuulgatio Catholicæ fidei per Chriſti, & ſuorum diſcipulorum prædicationem; quæ diuulgatio eſt vox

Domini

Domini *facta* in virtute, *nempe, magna, quia infideles, & a uero cultu remoti, immo illum impugnantes, conuerſi fuere ad fidem catholicam humili efficacia predicationis euangelicę, cùm qua coniuncta erat mirabilis miraculorum operatio,* vox Domini in magnificentia, *quando leproſos mundabant, cæcos illuminabant, mortuos ſuſcitabant, & alia infinita miracula, quibus eodemmet tempore confirmabatur illorum doctrina, & integritas vitæ. Quæ miraculorum operatio fuit tertium beneficium.*

Vox Domini confringentis cedros; & confringet Dominus cedros Libani.

Quartum beneficium Eccleſię ſuæ a Deo communicatum fuit humiliatio, & ſubiectio terrenorum principũ ſub ſuaui iugo fidei Chriſtianę. Quæ humiliatio fuit vox confringentis cędros, *& humiliantis per cordis contritionem potentes de gentibus, ſublimes honoribus, inflatos ſapientia mundana, ac terrenis diuitijs admodum copioſos.* Et confrĩget Dominus *per eandem pænitentiam* cedros Lybani, *nempe ipſos Iudæos, qui ratione diuinæ legis, regiæq; dignitatis, ac ſummi Sacerdotij ſuper gentibus ſe gloriabantur, vti & cedri in Lybano plantati alijs omnibus ſunt eminentiores, & altiores.*

Et comminuet eas tamquam vitulum Libani; & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Et confracta horum principum, & grandium ſuperbia per pænitentiã, colla ſua ea animi prõptitudine iugo fidei poſtea ſubmiſerunt, ut parati eßent mori pro Chriſto, & comminuet, *ſeu humiliabit* eas tamquam vitulum Lybani, *nempe, qui nutribatur in monte Lybano, isq; ad ſola ſacrificia erat tantummodo deputatus. Et mirum non erit, ſi illos principes Deus comminuet ea ſpirituali fractione, vt ſint parati mori pro Chriſto, ſi opus ſit,* quemadmodum *Chriſtus dilectus, & vnicus Patris fuit pro nobis omnibus, ſed ea tantum parte paſſus eſt, qua fuit homo, &* filius vnicornium, *nempe, ſecundum carnem Iudæorum, qui propter eorum ſuperbiam dicuntur vnicornes.*

Vox Domini intercedentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum; & commouebit Dominus deſertum Cades.

Quintum beneficium eſt diuinum auxilium collatum ipſis Sanctis contra crudeles, & inhumanas Tyrranorum perſequutiones pro confeſſione,

Digitized by Google

feſſione, & defenſione veritatis Chriſtianæ. Quod auxilium eſt vox Domini intercidentis flammam ignis, *prout interrumpebat, & præcidebat furentem iracundiam tyrranorum, & aliorum, qui tam efferate, & adirate trucidabant varijs, & inhumanis tormentis fideles Chriſti. Sextum beneficium eſt conuerſio ad fidem Chriſti tam gentilium, quam Iudęorum. Conuerſio gentilium eſt* vox Domini concutientis deſertum, *qui, ſicut deſertum, erant inculti ſine doctrina legis, & prophetarũ, ac ſine vero cultu. In conuerſione vero Iudęorum*, & commouebit Dominus deſertum Cades, *qui merito appellantur deſertum Cades, cum deſeruiſſent ſanctum legis mandatum propter illorum traditiones, non habentes ſpiritualem intellectum legis diuinæ.*

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa: & in templo eius omnes dicent gloriam.

Septimum beneficium fuit illuminatio doctorum Eccleſiæ contra infideles, & hæreticos, quæ eſt Vox Domini præparantis ceruos, *prout Eccleſiæ ſuæ Dominus dedit Doctores, qui omnia mundana contemnentes ad annunciandum Euangelium erant agiles, quiq; venenoſas hæreticorum linguas non timebant, & eos vtriuſq; teſtamenti ſcripturis tanquam duobus cornibus reprimebant, & confutabant. Et, his,* reuelabit condenſa, *quæ ſunt ſacrę ſcripturæ obſcura, & condenſa myſteria. Quorum beneficiorum cauſa* omnes *Chriſti fideles in templo eius* dicent gloriam, *& laudem Domini, pro debita animi grati ſignificatione ob ſalutarem doctorum doctrinam, & inſtructionem.*

Dominus diluuium inhabitare facit: & ſedebit Dominus rex in æternum.

Octauum beneficium eſt electorum cura à fluctibus tentationum; ſic etenim Dominus diluuium inhabitare facit, *prout in diluuio tentationum, & turbationum, quibus vndequaq; inundat hoc ſæculum, non ſinet ſubmergi ſanctos, & electos ſuos, ſed quod dignius eſt,* ſedebit Dominus rex in æternum. *nempe ſedebit Dominus Chriſtus Rex in Eccleſia, eamq; reget, vſquequo deducat ſanctos ſuos in æternum gaudium in cælis, transferendo eos à diluuio ad montem, & ab omni perturbatione mundi ad veram quietem cæleſtem.*

Digitized by Google

Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Et perfecto regimine eos reget Chriſtus Dominus, & contra mala, & in bonis. Contra mala. Dominus dabit virtutem, *& fortitudinem* populo ſuo, *vt dum dimicant contra procellas huius mundi, & contra turbines tentationum, eas debellent, & vincant glorioſe cum victoria. In bonis pariter eos reget.* Dominus benedicet populo ſuo in pace, *promouendo eos de virtute in virtutem, vt poſt tempeſtates huius ſaculi faciat eos requieſcere in cælis, vbi eſt vera, & conſumata pax omnium beatorum cum Deo, atq; inter ipſos beatos, & Sanctos.*

Digitized by Google

Exaltabo te Domine, qnoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

PSALMVS XXIX.

Argum. IN *hoc Pſalmo, qui exponitur, ſecundum ſenſum propheticum, agitur de Chriſti Domini Reſurrectione, quam neceſſario præceſſit illius paſſio; vt homo pro abſoluta, & plena perfectione ſuæ ſalutis liberaretur a morte animæ, & a morte corporis, cum vtriuſq; mortis obnoxius erat ex comminatione diuinæ in primos parentes, ſi peccarent.*

Partitio. *In eo iſta pertractat Pſalmiſta de Chriſto* 1. *Deo Patri gratias agit de eius Reſurrectione,* Exaltabo te Domine, *quam confitetur, & magnifacit, tam ex parte corporis,* Domine Deus meus, *quam ex parte animæ.* Domine eduxiſti ab inferno.

2 *Pro tanto beneficio excitat fideles ad gratiarum actiones, ac ſimul pro eorum reſurrectione* Pſallite Domino, *quæ tantummodo a diuina gratia eſt agnoſcenda.* Quoniam ira.

3 *Exponit de ſeipſo Chriſtus, quod fuit condignus ſatisfactor Deo Patri pro peccatis humani generis, & quia eius vita fuit immunis ab omni peccato.* Ego dixi in abundantia mea. *& quia talis vita paſſioni, & morti fuit expoſita.* Auertiſti faciem tuam a me.

4 *Petit ſuam reſurrectionem, vti neceſſariam, & propter ſalutem humani generis,* Quæ vtilitas in ſanguine meo. *& ob honorem Chriſti.* Nunquid confitebitur tibi puluis. *& ob gloriam Patris,* aut annunciabit.

5 *Confitetur ſe eſſe exauditum in ſua petitione.* Audiuit Dominus.

6 *Conſurgit nomine Eccleſiæ ad agendas gratias.* Vt cantet tibi gloria mea.

Perſona *Pſalmiſta loquitur in perſona Chriſti Domini, qui Deo Patri refert gratias pro eius reſurrectione, vt excitet ſuos fideles, & aqua Baptiſmi ſanctificatos ad memoriam, & gratitudinem tanti benefici, quod eſt ſummum inter cætera beneficia, & plurima alia docet, vt clare patet ſuperius in partitione Pſalmi.*

Pars prima. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

Cum longe proſpicerem quæ, & quanta bona, & mihi, ac meis conferre deberes in ſingulari opere meæ reſurrectionis, tibi aſſeueranter

dico

Digitized by Google

dico, o Domine Pater, quod tanti beneficij non tantum memor ero, ſed, Exaltabo te, *manifeſtando nomen tuum, & gloriam tuam hominibus vniuerſæ terræ ; & iuſta quidem de cauſa ,* quoniam ſuſcepiſti me *de morte in vitam per meam reſurrectionem , & per talem reſurrectionem, quæ facta eſt tertia die,* nec delectaſti inimicos meos ſuper me, *ita vt diutius non iucundarentur ſuper me ob meum intetrium, tam auide ab ipſis deſideratum, & tam crudeliter, & attrociter operi mandatum.*

Domine Deus meus clamaui ad te; & ſanaſti me.

O Domine Pater, & Deus meus, tanti doni agnoſco magnitudinem, & excellentiam, ex parte corporis mei, quod ante meam reſurrectionem erat infirmum, obſcurũ, graue ſicuti corpora aliorum hominũ, at in mea reſurrectoine factum eſt ſanum, incorruptibile, & clarum, immo clarius ipſo ſole; ſic etenim clamaui ad te , *in mea paſſione, & exauditus ſum in mea reſurrectione ,* & ſanaſti me. *nempe , ab omni corruptione & mortalitate carnis, quia in glorioſo corpore me reſurgere feciſti.*

Domine eduxiſti ab inferno animam meam; ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

Magnitudo tanti beneficij clara eſt etiam, mi Domine, ex parte animæ meæ, quia occaſione tantę reſurrectionis eduxiſti ab inferno, *& a Limbo* animam meam ; *quæ illud corpus , quod prius demiſerat, idem numero reaſſumpſit, ſed immortale, & glorioſum . Quam beneficij magnitudinem eo magis ego agnoſco, quia mihi tantummodo fuit conceſſa ante generalem reſurrectionem ,* & ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum, *quia omnes reſurgent in vniuerſali reſurrectione.*

Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memorię ſanctitatis eius. Pars ſecunda.

Et pro tam ſingulari, & immenſo beneficio ſurgite omnes ſanctificati , & electi, & qui re uera vultis eſſe de numero membrorum Chriſti ; dico ſurgite ad agendas gratias, his actibus, Pſallite Domino, *bona operando, quia ſurrexit caput veſtrum, & vos pariter reſurgetis eius membra. amplius publice celebrate eius ſacram memoriam,* cõfitemini memoriæ ſanctitatis eius. *quia ex bonitate sãctitatis ſuæ vos ſanctificauit, hoc eſt, ſanctos per reſurrectionem facere diſpoſuit, cum veſtrę reſurrectionis, tam quo ad animam, quam quo ad cor*

pus ſit cauſa efficienso, frmalis, atq; finalis eius reſurrectio.

Quoniam ira in indignatione eius; & vita in voluntate eius.
Et iure merito confitemini omnibus memoriam ſanctitatis eius, quia reſurrectio veſtra tota dependit a voluntate, & gratia illius. Nam peccatis primorum parentum exigentibus, mortis ſententia contra eos, & contra vos pariter data fuit, morte morieris, vt non tantum morte corporali per ſeparationem animæ à corpore punirentur, ſed etiam morte ſpirituali, nempe, vt ab eius gratia, & ab æterna fælicitate eſſent excluſi. Quoniam ira, *& iuſta punitio erat* in indignatione eius *contra talia peccata, & contra tales peccatores. At* vita *animæ, & vita corporis veſtri* eſt in voluntate eius, *& non per vlla merita hominum, cum ſua paſſione cõtulerit vobis vitã animæ, & ſua reſurrectione vitam corporis; mortuus eſt enim propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*

Ad Veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

Amplius pro exageratione, & maiori notitia tanti beneficij, celebrate, & publice confitemini diuerſitatem veſtri ſtatus, & cauſa primi hominis Adæ, & cauſa ſecundi hominis Chriſti. Nam cauſa peccati Adę, ad veſperũ demorabitẽ fletus, *& gemitus pœnitentiæ. cum vſq; in finem ſæculi homines habeant occaſionem plangendi ob bona, quæ Adæ peccato perdiderunt, & ob tanta mala, in quæ ita infæliciter incurrerunt. At cauſa reſurrectionis Domini Chriſti,* & ad matutinum lætitia, *quia tempore reſurrectionis veſtræ, ſicuti liberi eritis à morte, à miſeria, & omni ſeruitute peccati, ita glorioſi corpore, & anima beati, ſumma fælicitate habitabitis in cælo.*

Tertia pars.

Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum.

Quam equidem reſurrectionem. quæ fuit mea exaltatio, ac conſequenter totius generis humani, obtinere non valui (ità exigente diuina diſpoſitione, ac iuſtitia) niſi pręcederet perfecta, & debita ſatisfactio iuſtitiæ diuinæ pro peccato generis humani. Quæ in me abſoluta & completa fuit his duabus conditionibus; quarum prima eſt, vt ſatisfactoris vita penitus mũda, & immaculata eſſet, nec nõ & eſſet tãtum bonum, aut certe maius bonum, quam bonum omnium creaturarum; quam ſingularẽ pręrogatiuam in me agnoſcens, ego aũt dixi in abundantia mea: *nam in confidentia diuinitatis, cuius plenitudo*

nitudo in me inhabitat, non mouebor in æternum, *nempe, à Deo per peccatum; quia per gratiam, ità in bono ſum confirmatus, quod a virtute per peccatum cadere non poſſum, neq; ſeparari a verbo.*

Domine in voluntate tua; præſtitiſti decori meo virtutem.
Quam dignitatem vitæ meæ ſuper omnes homines, & ſuper omnia creata, o mi Domine, mihi non attribuo, ſed tibi omnia. Nam a tua voluntate habui, tum immunitatem a peccato, quæ eſt decor, & mea pulchritudo, tum etiam poteſtatem faciendi miracula, quæ eſt mea virtus. Vtrumq; a te agnoſco, & profiteor, Domine in voluntate tua, præſtitiſti decori meo virtutem. *cum ſupra innocentiam dediſti mihi virtutem operandi mirabilia.*

Auertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.
Altera conditio in ſatisfactore neceſſaria, eſt, vt eius vita pro Dei honore exponeretur in mortem, vt pratio ſui ſanguinis plene Deo, & eius iuſtitiæ eſſet ſatisfactum pro alienis peccatis. Quam pariter in me animaduerto, quando expoſuiſti me paſſioni, Auertiſti *(quodãmodo)* faciem, *& diuinitatem* tuam a me, & factus ſum cõturbatus, *nempe, in ſenſualitate carnis meæ, quia cæpi pauere, tædere, ac mœſtus eſſe.*

Ad te Domine clamabo; & ad Deum meum deprecabor.
His autem abſolutis in paſſione quæ pro diuina ſatisfactione iuſtè erãt neceſſaria, vt à ſuis malis liberaretur genus humanum, nunc neceſſario ſequi debet illam paſſionem reſurrectio mea, qua mediante ad bona eis neceſſaria omnes fideles promouerentur. Non ſufficit equidem tãtummodo quempiam liberari a malo, niſi & ille promoueretur ad bonum. Hanc autem meam reſurrectionem a te poſtulò, ante te emittens orationẽ, & deprecationẽ; accipe orationem. Ad te Domine clamabo, *orãs pro gloria reſurrectionis, & immortalitatis meæ. accipe deprecationem.* ad te Deum meum deprecabor, *nempe, pro abſoluta ſalute humani generis, cuius gratia talia paſſus ſum, & tanta.*

Quæ vtilitas in ſanguine meo: dum deſcendo in corruptionem? Quarta pars
Poſtulaui reſurrectionem meam, & neceſſario eam poſtulaui, ità exigente ratione, ut eſſet connexio paſſionis meę cũ reſurrectione. Nam ſi de-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſi deſcendero in corruptionem, ità vt amplius non reſurgam, niſi in reſurrectione vniuerſali, quibus vtilis erit mea paſſio, & tanta ſanguinis effuſio? quæ equidem eò fine facta eſt, vt ſalus conferatur omnibus in me credentibus, nempe, me eſſe verum hominem, & verum Deum; at me non reſurgente, profecto non credent me eſſe Deum, & filium Dei, ac ſimul perit tota hominum ſalus, pro quibus talia, & tanta ſuſtinui in corpore meo.

Nunquid confitebitur tibi puluis: aut annuntiabit veritatem tuam?

Non deſunt & aliæ rationes pro neceſſitate meæ reſurrectionis, quæ pertinent ad me, & ad te, vti ſuperior ratio refertur ad ſalutem hominum. Ad me namq; pertinet, & ad meum honorem, vt publicè confiteatur, quod diuinæ iuſtitiæ a me eſt ſatisfactum in mea paſſione pro peccatis humani generis; at ſi ego non reſurgam, Nunquid confitebitur tibi puluis *& prædicabit hanc ſatisfactionē eſſe factam, nō equidem id fieri poteſt; Ad te, mi Domine, pariter pertinet, & ad gloriam tuam, quod ſit annunciatum, te eſſe veracem, & fidelem in promiſſis; at ſi ego non reſurgam,* aut quis annuntiabit veritatem tuam? *nempe, hanc veritatem tuarum de me promiſſionum? profecto, nullus.*

Pars. quinta.

Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei; Dominus factus eſt adiutor meus.

Attamen, Dominus Pater meus audiuit, & deprecationem a malis, & orationem pro bonis. Miſertus eſt mei, *ne viderem corruptionem,* Dominus factus eſt adiutor meus, *vt ego reſurgerem tertia die.*

Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi; conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.

Et cauſa tantę reſurrectionis, Conuertiſti planctum meum in gaudiū mihi, *cum in paſſione anima mea fuerit triſtis vſq; ad mortem, at in reſurrectione ſumma lætia eſt repleta vſq; ad glorificationem. Præterea, in paſſione* conſcidiſti ſaccum meum, *& corpus meum vulnerari, dilacerari, & crucifigi permiſiſti, at in reſurrectione* circumdediſti me lętitia, *cum corpus meum reſurrexit verum, integrum, glorioſum, ac cicatricibus vulneratum ad maiorem cumulum gloriæ meæ.*

Digitized by Google

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. Sexta pars.

Quæ ſingularia bona, eo magis augentur, cum amplius non moriar, & non compungar, *aculeo mortis, cuius cauſa factum eſt, vt tibi pro debita gratiarum actione* cantet tibi gloria, *& anima mea, & vsq;* in æternum, Domine Deus meus, confitebor tibi, *omni conſeſſione laudis, & gratiarum actionis.*

Digitized by Google

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum; in iuſtitia tua libera me.

Pſalmus XXX.

Argum. *IN hoc Pſalmo, qui exponitur ſecundum ſenſum propheticum, agitur de malis internis, quibus Eccleſia vniuerſe laborat in omnibus fidelibus, & de his malis externis, quibus afflicta eſt in multis ex fidelibus, qui cum in hac vita ſint inter ſe diſtincti ex parte meritorum, & non loco, in altera vero erunt ſeparati ex parte præmiorum, ac etiam loco.*

Partitio. *In eo iſta pertractat Pſalmiſta.* 1. *beneuolum ſibi facit Dominum in principio deprecationis, per ſuam in eo confidentiam.* In te Domine ſperaui.

2 *Poſtulat a Domino diuerſa pro omnibus Eccleſiæ fidelibus, vt a malis communibus, & internis vitam libere ducant.* Eſto mihi in Deum.

3 *Sibi pro certo promittit poſtulata impetrare,* Educes me de.

4 *Orat Deum, vt illius compatiatur, narrans mala, quę ſuſtinet Eccleſia in multis ſuorum fidelium; quæ mala ſunt.* 1. *perditio multorum fidelium.* Miſerere mei. 2. *paucitas proborum hominum.* Quoniam defecit in dolore. 3. *paupertas bonorum operum.* Infirmitas eſt in paupertate. 4. *& horum paucorum operum deriſio.* Super inimicos.

5 *Animi ſui firmitatem manifeſtat, & præcipue contra tales deriſores* Ego autem ſperaui. *referens etiam dignam illorum retributionem.* Erubeſcant impij.

6 *Admiratur diuinam bonitatem in eos, qui fugiunt mala, & faciunt bona.* O quam magna multitudo.

7 *Deo gratias agit propter præmia collata timentibus Deum, & ſperantibus in Domino.* Benedictus Dominus.

8 *Adhortatur omnes fideles ad diuerſa ſtudia, & pro eorum ſalute in mortali peregrinatione,* Diligite Dominum. *& pro obtinenda vita æterna,* Viriliter agite.

Perſona. *Pſalmiſta loquitur in perſona Eccleſiæ, qui conſiderans ea mala, & calamitates, quibus homines in curſu eorum vitæ ſubijciuntur, quę ſunt poteſtas diaboli, peccati ſeruitus, & mala carnis concupiſcentia, ab his internis malis petit efficaciter a Domino auxilium, vt valeant ſe liberare. Conſiderat etiam mala externa in multis fidelium*

Digitized by Google

libus, qui efficaciter non ſuſcipiunt Chriſti ſaluationem; eaq; refert diſtincte, nempe, periclitatio multorũ fidelium, mali in maiori numero quam boni, defectus ſiue paupertas bonorum operum, & talium etiam deriſio a malis chriſtianis. Horum cauſa orat Deum, vt illius miſereatur, & qualiter contra empios deriſores bonorum operum ſe geſſerit, non prætermittit. Tandem pro terrore improborum, & pro conſolatione iuſtorum, explicat horum, & illorum diuerſos ſtatus, vt qui in hac vita ſunt loco commixti; in altera erunt ſeparati tum loco, tum præmijs, atq; ſupplicijs.

In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum; in iuſtitia tua libera me. Prima pars.

Mi Domine, cui omnium occulta cordium ſunt nota, & aperta, neque tibi pariter de me ignotum erit, qua animi ſtabilitate firmus fuerim in tot tantiſq; malis, & calamitatibus, quibus ex omni parte affligor, & agitor, vt nunquã ab alio expectauerim eorũ malorum liberationem niſi tantummodo a diuino auxilio, ſic etenim hoc veritati reſpondit. In te, Domine, ſperaui; *non autem in me, vel vlla alia re creata; & cum talis ſit meæ ſpei firmitas, fac, vt* non confundar in æternum, *& nequaquam ſit vana, aut fruſtra huiuſmodi ſpes mea, ſed re & effectu* libera me, *qui uitam duco miſerrimam, laſſus diaboli captiuitate, infectus peccato in anima, & confractus concupiſcentia fomitis in carne. Atq; libera me, non in mea iuſtitia, quæ in me nulla eſt, ſed tantummodo peccatum, ſed* in tua iuſtitia, *& qua iuſtus es, & qua iuſtificas per mirabilem virtutem mortis, & paſſionis tuæ omnes peccatores.*

Inclina ad me aurem tuam; accelera, vt eruas me.

Præter hanc meam in te confidentiam, vtar & humili deprecatione, quę mihi cõuenit, & ſemper tibi grata fuit. Inclina ad me aurem tuam; *& tuæ pietatis, & exaudi me in his malis, & calamitatibus; & qui per multa tempora ad te clamaui,* accelera, *tuum ad me aduentum, & auxilium,* vt eruas me *de poteſtate diaboli, de ſeruitute peccati, & de omni miſeria carnis.*

Eſto mihi in Deum protectorem; & in domum refugij, vt ſaluum me facias. Secunda pars.

Quas liberationes vt facile obtineã, valde opto, & a te exoro, vt ſis mihi, & ſufficiens ſaluator, & efficax ſaluator. Sufficiens ſaluator. Eſto mihi in Deum protectorem, *nempe, vt mihi coniunctim ſis*

Deus, & homo, non autem ſeparatim, aut Deus, aut homo, ſed Deus protector, qui eodemmet tempore potes, & me liberas a tantis animę meæ malis. Inſuper, eſto mihi in domum refugij, *vt virtute tuę paſſionis, & mortis a tãtis malis eruas me,* vt ſaluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu; & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Mi Domine, a te poſtulaui, vt ſis mihi in Deum protectorem; & iure merito, Quoniam fortitudo mea, *contra peccatum* es tu, *per tuã potentiam, & innocentiam, cum ſis gratus Deo; poſtulaui etiam, eſto mihi in domum refugij; & iure merito,* Quoniam refugium meum *contra ipſa peccata* es tu, *per tuam paſſionem, & mortem, cum ſis plenus ſatisfactor diuinæ iuſtitiæ. Sed vlterius, te precor, vt ſis mihi etiam efficax ſaluator, & me efficienter liberes a malis,* & deduces me, *atq́; hoc modo id facias, quaſi manu me deducendo per fidem, & eccleſiaſtica ſacramenta, &* enutries me; *& iſta omnia mihi præſta,* propter nomen tuum. *cum tuę partes ſint ſaluare alios, vt ipſum nomen declarat, qui ſaluator vocaris.*

Tertia pars.

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi; quoniam tu es protector meus.

Et pro certo teneo hanc liberationem a malis, & a peccatis, tum ex parte mei, tum ex parte tui. ex parte mei. quia in peccatum originale, a quo tamquam a malo fõte emanant peccata actualia, lapſus ſum non a me, ſed diabolo tentante, & ſuadente, Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi; *quando demones venantes in paradiſo, mala eorum ſuaſione in Adam peccaui ob guſtum ligni vetiti. Ex parte etiam tui, expecto hanc euaſionem,* quoniam tu es protector meus, *& liberator meus ab his malis, cum cognoueris me ad malum non inclinaſſe inuertibiliter.*

In manus tuas commendo ſpiritum meum; redemiſti me Domine Deus veritatis.

Ita confirmatus animo, nunc audeo experiri tuam in me protectionem, vt animæ meæ curam reipſa ſuſcipias, In manus tuas commendo ſpiritum meum; *& iuſta de cauſa ita audeo, cum agnoſcam te eſſe factum ſaluatorem, non corporum, ſed animarum,* redemiſti me *nempe, animam meam a captiuitate ſpirituali, non autem a captiuitate corporali; ac ita me redemiſti, quia tu es* Dominus

Deus

Digitized by Google

Deus veritatis *qui non tantum es verus in teipſo, ſed Dominus Deus veritatis in nobis, cum omnia potes, & omnia ſoles adimplere, quæ promittis bonis, aut malis minaris.*

Odiſti obſeruantes vanitates; ſuperuacue.

Amplius, quæ a te poſtulaui pro mea ſalute, ſine aliqua dubitatione teneo, omnia, & ſingula me conſequi; cum alia ratione mihi notum ſit, quod tu odiſti omnes, *qui te penitus ſpreto ſpem ſuam in Idolis poſuerunt, & ab illis expectant, quæ exiſtimant facere pro eorũ ſalute; quæ idola ſunt vanitates ſuperuacuæ, & vaniſſimæ, cum homines ſemper careant eo fine, quem ab illis intendunt; ſic etenim mihi conſtat.* Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacue.

Ego autem in Domino ſperabo; exultabo, & lętabor in miſericordia tua.

At ego nunq̃ fui idolatra, neq̃ ero, & ſpes mea, nunquam fuit aut vana, aut ſuperuacanea, ſed ſtabilis in bono, & ad debitum finem terminata. Ego autem in Domino ſperabo *qui es verus, & potens Dominus, & qui omnia ad debitum finem diſponis, & terminas. Atq̃ in poſterũ ſperabo in miſericordia tua, omni exultatione corporis, & omni lætitia animi.* exultabo, & lætabor in miſericordia tua, *quæ ſoles, & potes bona alijs communicare.*

Quoniam reſpexiſti humilitatem meam; ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.

Quam miſericordiam tuam per reuelationem percepi his in me beneficijs; quorum primum eſt, quod tu me ad participationem ſacramentorum vocaſti; Quoniam reſpexiſti humilitatem meam *ac meam afflictionem, & miſeriã, cum ſine fructu ſacramentorum viuebam magna animi mei turbatione. alterum beneficium, quod virtute ſacramentorum a culpa, & a pœna me liberaſti.* ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam *cum culpa, & pœna peccati inter ſe ſint connexæ, ac pœna neceſſario ſequitur culpam, vti iſta a fomite, & incentiuo dependet.*

Nec concluſiſti me in manibus inimici; ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.

Tertium beneficium tuæ miſericordiæ eſt, quod etiam mirabili effectu ſacramentorum liber fui a fomite carnis, ut amplius mihi non imputetur in peccatum. Nec concluſiſti me in manibus inimici;

ita, ut fomes tum in me eſſet, tum etiam eſſet in peccatum; ſed ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos. *ut in me fomes quidem eſſet, at non eſſet in peccatum, neq; mihi attribueretur in peccatum; cum in iuſtis ſit exercitium uirtutis, & corona premij.*

Quarta pars.

Miſerere mei Domine, quoniam tribulor; conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Sed mi Domine, dum ex parte fidelium conſidero etiam, qualiter tuas ſaluationes ſibi ipſis applicauerint pro ſuarum animarum ſalute, ut tua fuit intentio, omnes fieri ſaluos, cogor ad te clamare, Miſerere mei Domine, *compatere miſeriæ, & calamitati tuæ ſponſæ, quam tuo ſanguine redemiſti; atq; miſerere mei, & primo,* quoniã tribulor *graui ac maxima perturbatione, cum animaduerto multos ac multos damnari, non ſolum extra tuam Eccleſiam, ſed etiam intra ambitum tuæ Eccleſiæ. Qua perditione ita tribulatus ſum, ut uim doloris interius ferre non ualens, illum ſenſibus, ac cæteris membris corporis declarare coactus ſum; ſic etenim* cõturbatus eſt in ira *ac præ ira, & mœrore* oculus meus, anima mea, & venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea; & anni mei in gemitibus.

Sequitur alterum malum Eccleſiæ tuæ, in qua boni cum malis ſunt permixti usq; in finem illorum uitæ, ita ut boni a malis nequeant ſeparari loco, & malorum multi non emendantur, In dolore, *& præ dolore tanti detrimenti* defecit anima mea, *& cauſa tantæ diuturnitatis* anni mei *defecerunt* in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea; & oſſa mea conturbata ſunt.

Tertium ſuccedit malum Eccleſiæ tuæ, in qua euidens eſt defectus, & paupertas bonorum operum. Infirmata eſt *cauſa malorum fidelium* in paupertate *bonorum operum* virtus mea *quæ naturali dono diſpoſita atq; inclinata eſt ad bene agendum. Quo graui damno* oſſa mea conturbata ſunt, *& omnes uires animæ meæ, cum mali numero, & multitudine ſuperent probos ac iuſtos, indeq; ſequitur maior bonorum operum defectus.*

Super

Digitized by Google

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde; & timor notis meis.

Quartum adeſt malum Eccleſiæ tuæ, in qua perſpicitur frequēs deriſio bonorum operum ab ipſis malis chriſtianis, qui equidem ſunt vicini mei *per eādem fidem & ſacramēta, qui tamen deridere ſolent eos, qui iuſte, ſobrie, & pie viuere contendunt. Quæ deriſio non tantum ex ſe mihi eſt multum grauis, ſed ſimplicibus viris, qui ſunt* mei noti, *eſt magni detrimēti. Mihi ē grauis, quippe cū in bonis operibus, quæ a ueris chriſtianis ſunt peragendæ, plus deridentur ij boni a malis chriſtianis, quam ab ipſis infidelibus, qui ſunt* mei inimici, *cum ſint extra fidem Eccleſię; ſic etenim verum eſt;* Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde. *Eſt etiam alijs magni detrimenti, nam idiotæ, & ſimplices videntes opera bona contemni, & bonos aliorum deriſui eſſe, & ipſe ſe retrahaunt ab omni bona operatione timore talis deriſionis,* & timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt à me; obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde.

Ita veritati conſonum eſt, vt dixi, idq́; experientia ego agnoui; Nam qui videbant me, *nempe, bona operantem,* foras, *& longe* fugerunt a me; *& apud eos* obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde, *ſcilicet, ipſorum; nulla ratione volentes me ſequi, & imitari opera mea bona.*

Factus ſum tamquam vas perditum; quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

Sed præter id, quod noti, & ſimplices reuocant animam ab omni bono ob malorum vicinorum deriſionem, apparet etiam aliud notabile damnum, quod dum perfecti viri bona opera faciunt, eorum vita ſpernitur, neq́; ſuis dictis aut prędicationibus aliqua datur fides; atq́; hac ratione factus ſum tamquam vas perditum, *& inutile pro aliorum conuerſione, & profectu; & certus ſum de hoc notabili damno,* quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. *qui accuſant, & ſanctitatem perſonarum, & reprehendunt eorum opera honeſta, & iuſta, facta in honorem Dei, & aliorum ſalutem.*

In

Digitized by Google

In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me ; accipere animam meam conſiliati ſunt.

Sed præter deriſiones, & detractiones contra bonos, & bona opera, faciunt etiam conuenticula, vt ipſos bonos e vita auferant, ac penitus perdant, quia eorum vita illis eſt maxime odibilis ; & de hac re nulla eſt dubitatio. In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me, *& me deridendo,* accipere, *ac perdere* animam meam cõſiliati ſunt, *& vnanimi conſenſu, ac determinata voluntate; cum illis inuiſa ſit omnis bona operatio, & auctor illius operationis.*

Ego autem in te ſperaui, Domine, dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

At his non obſtantibus malis & calamitatibus, numquam animum ob aliquam diffidentiam perdidi , ſed ego in te ſperaui, Domine, *& certa confidentia nixus,* dixi, *in corde meo,* Deus meus es tu , *& nunquam me derelinquas , quia tu ſolus me creaſti, & nõ alius , quia tu ſolus me gubernas, & cõſeruas, ita, quod* in manibus tuis *ſunt* ſortes meæ , *& varij euentus meæ calamitatis, aut proſperitatis , ac in tua diſpoſitione ſunt tempora vitæ, & mortis meæ; Quæ omnia non ſunt in manu me perſequentium , & opera meæ.*

Quinta pars

Eripe me de manu inimicorum meorum ; & a perſequentibus me.

Cuius mea in te confidentiæ , fac , vt videam deſideratos effectus , vt inimici mei, neq; mihi præualeant , neque gaudeant de meo interitu, Non præualeant ; eripe me de manu inimicorum meorum. *qui me, & opera mea bona odiunt. Non gaudeant.* & a perſequẽtibus me, *qui mihi mala inferunt, & non alia de cauſa , niſi quia bona ſunt illis omnino inuiſa.*

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum , ſaluum me fac in miſericordia tua; Domine non confundar , quoniam inuocaui te.

At preter vitæ meæ conſeruationem, & huiuſmodi auxilia mihi concede, quorum primum eſt , vt alij cognoſcentes quod facies tua ſuper me intendat , fidem, & credulitatem adhibeant meis ſermonibus in eorum ſalutem, Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum. *hoc eſt. illuſtra ſeruum tuum conſpectu, & fauore tuæ gratiæ apud alios. alterum eſt ſubleuatio Eccleſiæ tuæ a ſuperioribus calamitatibus, vt*

nempe,

Digitized by Google

tempe, tanti non pereant, proborum ſit maior numerus, abundantia pariter bonorum, operum, quæ non ſint amplius deriſa, ſed agnita, & imitata. ſic etenim te precor, ſaluum me fac, *& non meis meritis, quæ nulla ſunt, ſed* in miſericordia tua, *& per tuam miſericordiam. In quibus poſtulationibus te deprecor, vt non ſim fruſtratus;* Domine non confundar, *& iure merito,* quoniam inuocaui te, *& non alium, quia ſcio, quod tu ſolus potes, & ſoles omnes adiuuare.*

Erubeſcant impij, & deducantur in infernum; muta fiant labia doloſa.

At mi Domine, ex oppoſito: prauis, & fœtidis Eccleſiæ membris non ſolum ex zelo iuſtitiæ imprecor, ſed etiam prædico ex affectu charitatis, quæ mala illis ob eorum demerita ſupereminent niſi malorum reſipiſcant, & fiant ſana membra Eccleſiæ vniuerſalis. Et vna comminatio eſt de malis in præſenti vita; Erubeſcant impij. *videntes legem euangelicam tam fructuoſe proſperare, & ſana doctrina, & integritate vitæ, ac mirabili miraculorum virtute; Altera comminatio eſt, pro futura vita;* & deducantur in infernũ, *& ibi detrudãtur, niſi cõuertantur, atq;* muta fiant labia doloſa, *ſiue pereant labia doloſa, cum aliquando horum auctores fuere fideles, ſed poſtea facti ſunt doloſi, & doloſe interpretando ſacras ſcripturas in aliorum perniciem, ac detractorie impugnando pios, & deuotos, qui alios in viam ſalutis erudirent.*

Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem; in ſuperbia, & in abuſione. Sexta pars.

Et certe labia fuere doloſa, dum affirmant iuſtum iniqua operari. Quæ loquũtur aduerſum iuſtum iniquitatem, *atq; id affirmant* in ſuperbia *cordis, illum contemnendo, & deſpiciendo,* & in abuſione *oris, illum contumelijs, & conuitijs obſcurando, atq; proprio iuſti nomine abutendo.*

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine; quam abſcondiſti timentibus te?

Sed mi Domine, dum attente conſidero quæ & quanta ſunt bona a te præparata in altera vita poſt mala preſentis & mortalis vitæ, & dico præparata his, qui timent te, mala vitando, & his, qui ſperant in te, bona agendo; magna equidem animi admiratione cogor exclamare, & primo in conſolationem timentium te, Quam magna

mul-

multitudo dulcedinis tuæ, Domine; quam abſcondiſti timentibus te? *nempe, quam multis modis copioſa eſt tua dulcedo, quam abſcondiſti; ac recconditam ſollicite, & ſtudioſe ſeruaſti his, qui timore caſto te timent, & peccata euitant?*

Perfeciſti eis, qui ſperant in te; in conſpectu filiorum hominum.

Eandem repeto admirationem in conſolationem omnium in te ſperantium; O quam multis modis copioſa eſt tua dulcedo, quam perfeciſti; *ſiue perfectam oſtendiſti* eis, q ſperant in te, *& faciunt opera bona? ijs non tantum abſcondiſti tuam dulcedinem, ſed illam eis perfeciſti; & iure merito. Quia ſicut maioris meriti eſt bona agere, quam mala fugere, ita maioris premij eſt bona ipſa egiſſe, quam mala fugiſſe. Et tunc ſpei datur præmium æternum, quando cum ſpe coniuncta ſunt opera iuſta;* qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum, *& opera bona palam agunt, hac recta intentione, vt videantur ab alijs in eorum ſalutem, & glorificent Patrem, qui in cœlis eſt.*

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ; a conturbatione hominum.

Quæ tua dulcedo & beatitudo poſita eſt in viſione Diuinitatis, & Humanitatis Chriſti: ecce dulcedo in eius Diuinitate, abſcondes eos, *& ſeruabis eos* in abſcondito faciei tuæ; *quia timentes te, & in te ſperantes ſemper videbunt faciem, & maieſtatem Chriſti, quæ ipſis impijs erit abſcondita in ea gloria diuinitatis. Et tunc etiam defēdes eos* a conturbatione hominum, *cum in conſolationem pro eorum corpore non erit amplius, aut luctus, aut clamor, ſed nec vllus dolor, quia prima abierunt.*

Proteges eos in tabernaculo tuo; à contradictione linguarum.

Ecce dulcedo, & beatitudo in Chriſti Humanitate, quæ fuit, & eſt ſacrum tabernaculum illius Diuinitatis. Proteges eos in tabernaculo tuo, *uidendo glorioſum Chriſti corpus, & tunc etiam proteges* a contradictione linguarum, *cum in conſolationem ſui animi non erit ulla impugnatio aut contra ipſos, aut contra eorum opera, quæ ſobrie egerunt in ſeipſis, iuſte in proximum, & pie in Deum.*

Bene-

Digitized by Google

Benedictus Dominus; quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita. *Septima pars.*

Et ne animi ingrati nota ſim reprehenſus ob magnitudinem tuæ dulcedinis, quam iuſtis preparaſti in conſolationem ſuarum tribulationum, ego tanquam vnus ex illis iuſte exclamabo. Benedictus Dominus *qui ſua benignitate* mirificauit miſericordiam ſuam mihi, *atq; mirificam mihi oſtendit miſericordiam ſuam*, in ciuitate munita, *& copioſa omnibus bonis, cũ in cœlo ſit ſtatus omniũ bonorum aggregatione perfectus.*

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ; proiectus ſum a facie occulorum tuorum.

Et eo magis mirificaſti mihi miſericordiam tuam, nam dum eſſem in exceſſu mẽtis meæ, ob timorem tantorum malorum, quæ ſuperius retuli, & conſideraui in Eccleſia, in qua multi damnãtur, & mali ſuperant bonos, atq; in ea eſt magna paupertas bonorum operum, & ea pauca a malis chriſtianis ſunt deriſa, dixi *equidem* in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum a facie oculorum tuorum, *vt de me nullam curam haberes, neq; a tantis malis ereptus ad illam ciuitatem peruenirem.*

Ideo exaudiſti vocem orationis meæ; dum clamarem ad te.

Et pro certo in fine exaudiſti vocẽ, *et voluntatẽ* orationis meæ, dũ clamarem ad te, *qui numquam derelinquis ſincero, & fideli corde ad te clamantes. Etſi ad tempus homines exponas perſequutionibus, & aduerſitatibus, id facis, vt eos probes, probatosq; aliis in exemplũ uirtutum oſtendas, ac tandem tua benignitate eos conſtituas ſuper abundantiam bonorum in æterna vita.*

Diligite Dominum omnes ſancti eius; quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. *Octaua pars.*

At modo me conuertens ad vos, qui ſancti, & emundati eſtis per diuinam gratiam a peccatis, dum in hac mortali peregrinatione vitam ducitis, ſit vobis pro veſtra ſalute hęc forma, & ſtabilis regula. Diligite Dominũ omnes ſancti eius; *& nunquam deponite hunc diuinum amorem, qm̃ Dominus eſt iuſtus iudex, iuditio diſcritionis, & iudicio ſeparatoinis. iudicio diſcretionis circa merita, & demerita.* qm̃ veritatem requiret Dominus, *examinando opera veſtra ſi recta ſint, ac recta intentione facta. iudicio ſeparationis circa præ-*

 mia,

mia, *& ſupplicia.* & retribuet abundanter facientibus ſu-perbiam. *cum grauia ſupplicia ſint pręparata in multa abundantia omnibus peccatoribus, qui per ſuperbiam auerſi a ſummo & optimo bono, ſuam fælicitatem per inordinatum amorem in caducis & temporarijs conſtituerunt.*

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum; omnes qui ſperatis in Domino.

Pro his vero, qui deſiderio, & ſpe tendunt ad cæleſtem patriam, ſit pro eorum ſalute hæc altera regula; nempe, vt illorum ſpes ſit ornata bonis operibus, & perſeuerantia in illis. Talis etenim ſpes non erit vana, & inanis, ſed certa, & vtilis. Sit ornata bonis operibus, viriliter agite, *bona animo prompto, & virili operando, at eodem animo mala omnia impugnando. adſit & perſeuerantia.* & confortetur cor veſtrum, *in his operibus perſeuerando vſq; in finem,* omnes qui ſperatis in Domino. *Nam tunc ſpes veſtra non erit vana præſumptio, ſed ſpes vera ac perfecta, quæ eſt via vobis facilis ad ſalutem æternam in cælis.*

Digitized by Google

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Pſalmus XXXI.

IN hoc Pſalmo, qui numeratur inter Pœnitentiales, agitur de Pœnitentia, quæ ſecundum integritatem ſuarum partium deſideratur in peccatoribus, nempè vt à peccatis præteritis ſe emundent, & caueant à futuris. Argumētum.

In eo iſta pertractat Pſalmiſta. 1. præmittit ſui ſtatus miſeriam, cum longè abſit ab his, qui ſunt beati per peccatorum indulgentiam, Beati quorum, *& ab his, qui ſunt beati per innocentiam, & declinationem a futuris*, Beatus vir. Partitio.

2 *Deſcribit ordinem ſuæ conuerſionis ad Deum, & per media externa.* Quoniam die ac nocte, *& per media interna,* conuerſus ſum in ærumna.

3 *Narrat actum ſuæ pœnitentiæ.* Delictum meum.

4 *Commendat ipſam pœnitentiam, & confeſſionem de peccatis.* Pro hac orabit. *& pro euitandis futuris diuinum auxlium implorat.* Tu es refugium.

5 *Hortatur impœnitentes, vt ad pœnitentiam appropinquent, ob debitum ſuę naturalis nobilitatis* Nolite fieri. *ob timorem pœnarum.* Multa flagella. *& ob præmium iuſtorum.* Sperantes autem.

6 *Inuitat iuſtificatos & innocentes ad agendas gratias Deo.* Lætamini in Domino.

Pſalmiſta loquitur in perſona Pœnitentis, qui quaſi deplorat ſui ſtatus infælicitatem, dum longè abeſt ab his, qui per remiſſionem a commisſis, & ab illis, qui per euitationem a futuris, ſunt beati; Et qualiter ad ſui conuerſſionē ſit vocatus, quidq; operatus ſit, vt impetrationem obtineret ſuorum peccatorum; his addit, & vtilitatem pœnitentiæ, atq; præcationem à reſiduo; adhortans alios, vt neq; ſpernant remisſionem peccatorum, neq; ad eam amplectēdam ſint tardi, & deſides. Perſona.

Beati quorum remiſsæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Prima pars.

Si inter cœtus hominum illi re vera tanquam infælices, & miſeri ſunt adſcribendi, qui peccatorum pendere grauati, apud Deum verum vitę fontem ſpirituali vita gratiæ ſunt deſtituti, illiſq; imminet aliud ingens malum, quod eſt priuatio ęternę gloriæ in æternum; non equi-

dē ſic ſe habebunt hi, qui a Dominum Deum ſuum conuertuntur per ſalutares pœnitentię partes, nēpe, per cordis contritionem, & per oris confeſſionem ſuorum peccatorum. Ii profectò inter fælices, & beatos ſuum incipiunt tenere locum; nam, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, *dum ex intimo cordis affectu dolent, & contriſtantur ſe vnquam Diuinam offendiſſe Maeſtatem, cui & ſeipos, & omnia eorum bona agnoſcebant debere, ac vbiq; & ſemper: ſed amplius hi etiam ſunt beati,* & quorum tecta ſunt peccata, *quādo præter cordis contritionem, etiam per oris confeſſionem legitimo miniſtro humiliter, & fideliter aperiunt, & detegunt ſua peccata; que tunc teguntur a Diuina benignitate, & illis non imputantur amplius aut ad culpam, aut ad pœnam, tanquam ab his, & ab illis emundati, & liberati virtute & efficacia pœnitentię.*

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum; nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Præterea, cum pro integritate pœnitentię in peccatore, altera ei deſideretur pars, quæ eſt declinatio a futuris, quia non ſufficit quieſcere a malis, niſi & bona opera ſubſequantur; & reuera, Beatus eſt vir, cui non imputauit Dominus peccatum, *dum poſt impetratam remiſſionem a commiſſis non amplius relabit in peccata;* nec eſt in ſpiritu eius dolus. *dum ſtat promiſſis, quæ pollicitus eſt in actibus pænitentiæ, ſe nolle amplius peccare, ac ita viriliter, & fortiter perſiſtit, cauendo a peccatis. Is etenim ſanctificationem animæ ſuæ a Domino acceptam ob peccatorum indulgentiam, eam innocentem, & immaculatam cuſtodit ſemper ſine interuallo diuinæ gratię.*

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea; dum clamarem tota die.

Quam veritatis doctrinam atteſtor mei exemplo; quia dum voluntaria peccatorum confeſſione Deo nolui humiliari, ſed tacui, *nempe peccatorum confeſſionem, ſtatim cauſa talis ſilentij in multa damna prolapſus ſum, & detrimenta.* inueterauerunt oſſa mea, *cum propter peccata a me commiſſa vires meæ ad bonum ex naturæ dono diſpoſitæ, ad illud poſtea factæ ſunt debiles & impotentes; ſic etenim quo magis facilis fui ad malum, eò difficilior factus ſum ad bene operandum; & præ magnitudine tanti detrimenti eiulaui,* dum clamarem tota die.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua; conuerſus ſum in ęrumna mea, dum configitur ſpina. Secunda pars.

Verum, mi Dñe, dũ vitæ meę in melius facta ẽ in cõmutatio, id totũ a te agnoſco, & efficaciter agnoſco eſſe factũ, & exterius, & interius; exterius quidẽ, Qm̃ die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, *cum ad me ipſum cognoſcendum excitatus fuerim flagellis, & aduerſitatibus, quæ tua correctio fuit mihi multum grauis, & diuturna. interius etiam,* conuerſus ſum in ęrumna mea, dum configitur ſpina. *quando remorſus conſcientiæ infigebatur cordi meo, cogitando, quæ mala incurreram, & quæ bona ob peccata amiſeram, iſta rerum cogitatio erat mihi grauis ærumna, & maxima animi mei vexatio ad bonum amplectendum, & ad malum fugiendum.*

Delictum meum cognitum tibi feci; & iniuſtitiam meam non abſcondi.

In qua mea ad te cõuerſione, quę mihi faciẽda erãt ex parte materię, & peccatorũ ꝓ integritate cõfeſſionis, ea non prætermiſi, ac etiam debito ordine a minoribus ad maiora fuit in ea meus progreſſus. Nam tibi primum manifeſtaui peccata omiſſionis. Delictum meum cognitum tibi feci, *dum dimiſerim facere; quæ facienda ſunt bona: & inde peccata commiſſionis.* & iniuſtitiam meam non abſcõdi *dum perpetraui mala, quæ nulla ratione ſunt facienda. Quæ mea delicta, & iniquitates tibi cognita feci, dum ego ipſe agnoui ac confeſſus ſum eorum grauitatẽ ac fœtorem, nec non & ea tendere in meam maximam perniciem.*

Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Tertia pars.

Amplius, vt nihil deeſſet perfectioni confeſſionis ex parte & humilitate confitentis, Dixi, *et firmiter aſſerui omnia bona a me prætermiſſa, & omnia mala a me commiſſa in me ipſum, tanq; illorum auctorem eſſe referenda, ſine aliqua excuſatione aut naturæ, aut aliorum ſuaſionis. Sic etenim confeſſione criminis* Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, *Et ob hanc humilitatem meæ confeſſionis,* tu remiſiſti impietatem peccati mei; *ita vt non tantum remiſiſti, quod impie geſſi, quod fuit ipſum peccatum, ſed etiam remiſiſti peccati impietatem, quam ego impie in mei perniciem abſcondebam, & recuſabam confiteri. Quibus iuſtificationibus a tua Diuina clementia adeptis, inter cęteros beatos poſſum habere certum, & indubitatum locum.*

Quarta pars.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus;in tempore opportuno.

Quæ peccatorum remiſſio per pœnitentiam tanti facienda eſt, quod ab omnibus eſt petenda, & ſemper. ab omnibus eſt amplectenda; Pro hac orabit ad te omnis ſanctus. *cum nemo a peccatis immunis ſit, dum vitam agit etiam poſt baptiſmi ſuſceptionē, cuius virtute homines efficiuntur ſancti, & ſanctificati a peccatis. Semper eſt petenda;* in tempore opportuno. *quod eſt tempus vitæ præſentis, cum in futuro ſæculo confeſſio non habebit locum, quia æternum ſæculum eſt mercedis, hoc vero temporarium eſt operis circa propriã ſalutem.*

Veruntamen in diluuio aquarum multarum; ad eum non approximabunt.

Qui ſanctus ſiue ſanctificatus hanc etiam percipiet vtilitatem merito ſuæ confeſſionis, quod ei minus nocebunt calamitates, & aduerſitates mundi, cũ flagella, & infortunia peccatorum cauſa vt plurimum contingant, ſic etenim aſſerendum eſt; Veruntamen in diluuio aquarum multarum, *& inundatione tribulationum*, ad eum non approximabunt, *vt illi, nempe, noceant; quippe cum quando euenient, illas viriliter ſuſtinebit, ſciens non propter pœnam, ſed propter meritum ſui, & fructum aliorum eas Dominum immiſiſſe: Quod dici nequit de impœnitentibus, cum ijs flagella ſint pœna, & inſtructio pænæ pro eorum correctione in ſalutem.*

Tu es refugium meum a tribulatione,quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me, à circumdantibus me.

Et ſicuti omnis ſanctus orat ꝓ remiſſione, et purgatione a peccatis commiſſis, & ego ad te non diſſimilem orationem emitto pro preſeruatione a futuris, & contra obiecta tentationum, & contra ipſos tentatores. Contra obiecta, Tu, *vt ille, qui* es refugiũ meũ *poſt iuſtificatione a peccatis,* erue me a tribulatione, quæ circumdedit me, *cum omnia creata ſint in muſcipulam inſipientium. Contra tentatores.* Tu, *qui es* exultatio mea, *in cuius ſpei conſolatione requieſco*, erue me a circundantibus me; *cum ex omni parte adſint tentatores, nempe, dæmones, mali homines, inordinati motus, qui nã ceſſãt me tẽtare ad recidiuũ, et quaſi impellere ad uomitũ peccati*

Intellectum tibi dabo,& inſtruam te in via hac, qua gradieris; firmabo ſuper te oculos meos.

Ne dubites vllo modo, o penitens, induci in tentationem peccati, aut ex parte

Digitized by Google

ex parte obiecti, aut ex parte tentantis. Non ex parte obiecti, intellectum tibi dabo, *vt cognoſcas, quæ a te sũt vitãda, et quæ a te pariter ſunt agenda; nec non & quæ intentione bona ſunt agenda ſiue mala uitanda,* inſtruam te in via hac, qua gradieris. *Contra tentantes vero,* firmabo ſuper te oculos meos *ſiue mea prouidentia, ne aliquis te ſuperare poſſit, ſiue ſit incentor ad malum, ſiue ſit impugnator boni.*

Nolite fieri ſicut equus, & mulus; quibus non eſt intellectus. Quinta pars

At ego diuina gratia iuſtificatus & a declinandis futuris peccatis valde cautus, ex charitate me conuerto ad uos impœnitentes, qui aut ſuperbia ſpernitis virtutem pœnitentiæ, aut veſtra accidia, ac torpore eam amplecti negligitis. O peccatores ſuperbi, Nolite fieri ſicut equus *ſpernẽdo peccatorum indulgentiam, exiſtimantes vos eſſe iuſtos, eaq; nullo pacto pro veſtra medicina indigere; quia hac veſtra cogitatione eritis ſicut equus, qui ex ſui natura incedit ſuperbe, & erecta ceruice. O peccatores deſidioſi,* Nolite fieri ſicut mulus, *non multum curantes hanc remiſſionem peccatorum, ſiue illam de die in diem differentes, quippe cum hac inani veſtra cogitatione eritis ſicut mulus, qui eſt ſtolidum & deſes animal; ſed deponite & illam ſuperbiam, & hanc ſtoliditatem, vti vobis rationabiliter conuenit, qui eſtis creaturæ, in quibus* eſt intellectus. *Qua veſtra naturali dignitate ad emundationem tendite, & ad iuſtitiam conſeruandam poſtquam mundati eritis, ne penitus cadatis in brutalem deformitatem, quod erit vobis magni dedecoris, & detrimenti.*

In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe; qui non approximant ad te.

Et mi Domine, cum talium perditorum hominum deploranda ſit miſeria, quod mihi maximi eſt doloris, oro te, & deprecor, ut qui ad te non approximant *aut humilitate per confeſſionem ut peccatores, aut poſtulatione tanq; indigentes tuo auxilio ne cadant in recidiuum; illorum ſuperbiam, & horum contumatiam contunde, & maiori, & minori tribulatione flagellorum, ſecundum diuerſitatem, & grauitatem culparum. Sic etenim, cum hi uita uelint uiuere brutali,* In camo, & fręno maxillas eorum conſtringe; qui non approximant ad te, *& tua remedia poſtulantes contra peccata aut preterita, aut futura.*

Multa

Digitized by Google

Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Et vos, o duri peccatores, ſi ex officio veſtræ naturalis dignitatis nolite accedere ad Deum, vt vobis expoſitum eſt, ſcitote ſaltem decreta diuina, & contra peccatores, & pro ipſis iuſtis; vt veſtra perditione perterriti, aut aliorum fœlicitate confuſi deponatis vitia, & peccata. Profecto contra vos; Multa flagella peccatoris, *nempe, in malo obſtinati ſunt preparata & hic, & in futuro. Pro iuſtis vero, & qui bona operantur;* ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit, *cum iuſtificationem a peccatis ſequitur reconciliatio cum Deo, adopto in filios Dei, renouatio Spiritus Sancti, & donatio vitæ æternæ.*

Sexta pars.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.

Et tandem, in fine pſalmi ad vos iuſtos, & iuſtificatos me conuertens excito vos ad gratiarum actiones, atq; ad diuinas laudes, quas celebrare debetis, & interiori gaudio Lætamini in Domino, *qui vt ſanctus ſanctificans vos a peccatis emundauit, & exteriori lætitia,* & exultate iuſti *in Domino, qui vt ſumme benignus vos a peccatis ſua gratia præſeruauit; & vos* omnes recti corde *in ipſum Deum, illiusq; voluntatẽ in omnibus facientes* gloriamini *ad eum referẽdo omnia veſtra bona, qui uos diuino pariter fauore vocauit ad æterna gaudia in cæleſtibus regnis.*

Digitized by Google

Exultate iuſti in Domino; rectos decet collaudatio.

Pſalmus XXXII.

IN *hoc Pſalmo, qui eſt eruditio diuini cultus, agitur de diuinis laudibus, & de caſto timore in Dominum, atq; de præmio æterno prę parato his, qui exultant in Domino, bona operando, et his qui timent Dominum, m..la omnia euitando.* Argum.

In eo iſta pertractat Pſalmiſta. 1. *Inuitat omnes iuſtos, & fideles ad diuinas laudes celebrandas, & modis quibus conuenit.* Exultate iuſti in Domino. Partitio.

2 *Pro materia diuinarum laudum adducit diuerſas rationes, tum a veritate, & fidelitate Dei*, Quia rectum eſt verbum Domini. *tum ab eius pietate, & iuſtitia*, Diligit miſericordiam, *tum ab eius potentia*, Verbo Domini cœli firmati ſunt.

3 *Hortatur omnes ad timorem Domini*, Timeat Dominum. *cum habeat plenitudinem poteſtatis, tum in rerum conſtitutione*, Quoniam ipſe dixit, *tum in deſtructione*, Dominus autem diſſipat conſilia.

4 *Explicat pręmium diuinę laudis, & timoris, docens, quis populus dicendus ſit beatus*, Beata gens.

5 *Confirmat omnem ſalutem eſſe a Domino, & auctoritate diuina* De cœlo reſpexit Dominus, *& impotentia humana, tum in reſiſtendo*, Non ſaluatur Rex, *tum in fugiendo*, Fallax equus.

6 *Colligit veritatem, quæ tenenda eſt circa hominum ſalutem.* Ecce oculi Domini.

7 *Explicat quæ a nobis ſunt agenda per hac ſalute obtinenda.* Anima noſtra.

8 *Orat pro illius adeptione.* Fiat miſaricordia tua.

Pſalmiſta in perſona præceptoris moralis, & eccleſiaſtici loquitur, explicans omnia, quæ circa diuinas laudes ſunt attendenda; nempe qui ſint laudantes, quæ inſtrumenta, quæ materia, quis finis, & quale ſit præmium harum laudum, vt omnia patent in partitione. nam laudantes ſunt viri recti, inſtrumenta myſtica ſunt maceratio carnis, & diuinæ legis obſeruatio, materia ſunt diuinæ perfectiones, finis eſt placendi Deo, præmium eſt ęterna ſalus a ſolo Deo expectanda, & non ab vllo hominum, neq; a ſeipſo. Perſona

Digitized by Google

Pars prima.

Exultate iuſti in Domino; rectos decet collaudatio.

Cum diuinæ laudes, vt auribus Diuinæ Maieſtatis ſint ſuauia, & grata ſacrificia non ſolum ſpetioſa eſſe debent ex ſpetioſitate celebrantis, ſed etiam decentes, non tantum ob myſtica inſtrumenta, ſed magis ex nouitate materiæ, atq; ex modulatione intentionis & finis, qui in illis eſt præcipue deſiderandus. Hinc factum eſt, vt ad eas decantandas primum inuitentur ipſi iuſti, qui iuſta iuſte agunt, Exultate iuſti in Domino, *letitiam, nempe, mentis veſtræ de Deo habitam, non tenete occultam, ſed illam per exteriores laudes oſtendite, & vos in Deum quaſi extra vos ſaltate p ueram cordis deuotionem. Sic etenim vobis conuenit,* rectos decet collaudatio. *qui recti ſunt cum Deo, quando eorum voluntates dirigunt ſecundum voluntatem Dei, quæ eſt infallibilis regula agendorum; qui ſunt recti pariter in ſeipſis, dum domatis inordinatis ſenſibus, & importunis concupiſcentijs ſequuntur veram rationis regulam in omnibus operibus ſuis.*

Confitemini Domino in cythara; in pſalterio decem chordarum pſallite illi.

Neque animo, aut corde, & voce tantummodo laudate Dominum, ſed adhibite muſica inſtrumenta ſiue ab arte, ſiue a vobis myſtice facta; In publico namq; omnium conſpectu, Confitemini Domino in cythara, *& per moderatam pœnitentiam affligite corpora veſtra, vt imperio rationis facilius ſubdantur in obſequium diuinum.* & in pſalterio decem chordarum pſallite illi, *legem nempe decalogi operibus diligenter cuſtodiendo; vt alij videntes opera veſtra bona iuxta harmoniam decem pręceptorum, glorificent & ipſi veſtro exemplo Dominum Deum, qui in cœlis eſt.*

Cantate ei canticum nouum; bene pſallite ei in vociferatione.

Nec nō dimiſſis uſitatis, & veterib. cāticis, adinuenite noua, & exqſita argumenta materiæ pro celebrandis diuinis laudibus, Cantate ei canticum nouum, *quia eximia, & noua beneficia ab eo quotidie accipitis; atq; iſta omnia facite cum modulatione, & harmonia recti finis,* bene pſallite ei invociferatione, *vt Deo primū placeatis, cantate diuinas laudes, non vt populis aures demulceatis, quæ dum audiuntur a populis, non tamen audiuntur, & minus exaudiuntur a Deo.*

Quia

Quia rectum eſt Verbum Domini; & omnia opera eius in fide. Secunda pars.

Et prima materia veſtræ laudis ſit, & exultate iuſti in Domino, qui erga homines eſt rectus, ſiue fideiis, tum verbis, Quia rectum eſt verbum Domini, *tum factis,* & omnia opera eius in fide, *ſiue fidelitate. Sũmo enim cõſenſu in eo cõcordant verba operibus, & opera verbis ſemper reſpondent; cum nemo falli aut decipi ab eo poſſit, tam in ſuis promiſſis pro obſeruatione boni, quam in minis pro euitatione mali; omnes namq; & ſingulas adimplet, aut certis prẽmijs in iuſtos, aut certis ſupplicijs in malos.*

Diligit miſericordiam, & iudicium; miſericordia Domini plena eſt terra.

Secunda materia veſtræ laudis ſit, & exultate iuſti in Domino, qui pius eſt, & iuſtus; Diligit miſericordiam, & iudicium; *prius eſt pius, & poſtea iuſtus, qui talenta, & naturæ, & gratiæ primo deſtribuit, ac poſtea per iuſtitiam inquirit rationem circa illorum vſum. Quæ miſericordia non ſolum prẽcedit iuſtitiam, ſed etiam latius quam ea patet, & ſe defũdit,* miſericordia Domini plena eſt terra, *quia quocunq; loco, & quocunq; tempore ac quoſlibet vocat ad fidem, eiſq; condonat peccata per pœnitentiam, & vbique promittit gratiam in mortali vita, & gloriam pro æterna vita.*

Verbo Domini cœli firmati ſunt; & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.

Tertia materia diuinæ laudis ſit, & exultate iuſti in Domino, qui ſumme potens eſt, & ſuam potentiam manifeſtat in cælo, & in terra. In cælo, quando non tantum ſtabiles & incorruptibiles fecit cælos, quod eſt opus infinite potentiæ, ſed ſolo verbo eos tales fecit, nempe ex nihilo, & ſine vllo labore, qui modus addit potentiam potentiæ. Verbo Domini cæli firmati ſunt, *nempe, incorruptibiles, & in futurum æterni. In cælo manifeſtauit etiam ſuam potentiam,* & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *nempe, quando ſtellæ ipſæ fuere factæ; quæ ſũt virtus, & ornatus cælorũ tãta varietate, & numeroſitate, virtus etiam cælorum ſunt, quando diffundunt ſuas virtutes, mirabileſq; influxus in hẽc inferiora, illarum motu lumine, & alijs occultis virtutibus.*

Digitized by Google

Congregans ſicut in vtre aquas maris; ponens in theſauris abyſſos.

In terra pariter ſumme potens eſt Dominus; dum immenſas aquas maris, quæ initio creationis mundi vndiq; terram operiebant, congregauit in ſuo alueo, ea celeritate, & facilitate, qua quis in vtre colligit aquas, Congregans ſicut in vtre aquas maris. *Nec non, & in terræ concauitatibus, & locis cauernoſis condidit voragines, & aquarum abyſſos, ea namq; pariter facilitate, vt quis pecunas recondit in theſauro*. ponens in theſauris abyſſos. *Tanta equidem relucet eius potentia, vt certis definitisq; locis coerceat aquarum abyſſos, quæ ob ſuam profunditatem a mente humana indagari non poſſunt.*

Tertia pars.

Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

At modo, a laude diuina tranſiens ad timorem diuinum, interpono hæc nobis utilem monitionem; Timeat Dominum omnis terra; *& omnis homo; ut per amorem, & riuerentiam ſubdatur Domino, ſic, quod fugiat peccare, magis amore Dei, quam timore ſupplicij, & timeat eum omnis homo, cogitans ſemper, quis eſt homo, & quis eſt Dominus; cum homo aliud non ſit, quam terra, & ratione ſuæ creationis, & ratione ſuæ conditionis, ut is, qui terrenæ carnis fragilitate ad malum ſemper ſit facilis, & ad bonum difficilis. Inde oro ex charitate Deum, ut per ſuam pietatem omnes conuertat ad ſeipſum*; ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem, *quia ipſe ſolus a peccato hominem poteſt excitare, & ad pœnitentiam ducere; quæ quidem conuerſio non fit niſi cum magna commotione, dum peccator, qui eſt terra, a terrena contagione eleuandus eſt ad ſpiritualia gratiæ, & poſtea ad cœleſtia gloriæ.*

Quoniam ipſe dixit, & facta ſuut; ipſe mandauit, & creata ſunt.

Et timeat Dominum omnis homo, non tantum ex parte ſui, qui eſt vilis terra, ſed multo magis ex parte ipſius Domini, qui potēs eſt, & ea ratione potens eſt, quod habet plenitudinem poteſtatis, tum in rerum conſtructione, tum in deſtructione; in conſtructione habet plenitudinem poteſtis, cum a ſimplici ſua uoluntate dependent, tum ea quæ facta ſunt ex aliqua preſuppoſita materia, Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt; *tum ea quæ abſolute ex nihilo ſunt producta in eſſe* ipſe mandauit, & creata ſunt. *Eſt enim Dominus agens, &*

magne

Dominus diſsipat conſilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.

Plenitudinem poteſtatis habet & in rerum deſtructione; cum omnes res, quæ ab hominum dependent voluntate poſſit ad beneplacitum ſuæ voluntatis & in momento diſſoluere, ac illis perniciem inferre; idq́; clarum eſt, & deſtructione vniuerſali, Dominus diſſipat cōſilia gentium, *quæ ſuum non habent effectum ſine diuino adiutorio; & deſtructione ſpeciali,* reprobat autem cogitationes populorum, *cum illarum effectus impediat, & quo ad fines, & quo ad media pro illis finibus; & destructione ſingulari,* & reprobat cōſilia principum, *qui infatuat eorum conſilia, & quæ vtiliſſima ſibi eſſe iudicant, illis perniciem & interitum adferunt; & iure merito, quia non eſt prudentia, quo ad appetendum finem, non eſt conſilium, quo ad media eligenda contra Dominum.*

Conſilium autem Domini in æternum manet; cogitationes cordis eius in generationem, & generationem.

At conſilium Domini in rebus agendis ita ſe habet, & tam amplum ac generale eſt, quod a nullo poteſt diſſipari; neq́; vnquam. A nullo poteſt diſſipari, Conſilium autem Dn̄i manet in æternum, *& quo ad finem, & quo ad media, & quo ad executionem; ita, vt quod Deus conſultādo decreuit, nullo modo a quoquam poteſt diſſolui, aut impediri, quo minus executioni demandetur. Neq́; vllo vnquam tempore poteſt diſſipari;* cogitationes cordis eius in generationem, & generationem. *Nam quæ Dominus cogitauit facere, prorſus fiunt & eo modo, & eo tempore, quo ipſe voluerit.*

Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius; populus, quem elegit in hæreditatem ſibi. Quarta pars

Et cum omnis virtus numquam denudata ſit eo præmio quod ei ſincere eſt praſtandum; inde & vos iuſti, qui exultatis in Domino, bona operando, & vos, qui timetis Dominum, omnia mala euitando, expectate pro certo præmia veſtra a Domino, & hic, & in futuro. De qua re nulla apud vos ſit dubitatio; Nam veriſſimæ ſunt hæ duæ propoſitiones, quarum vna eſt, Beata illa gens, quæ elegit Dominum in Deum ſuum, *ſiue in ſuam poſſeſſionē, & hæreditatem. Eò quia omnis ſalus ē a Deo: altera eſt,* beatus ille populus quē

elegit

Digitized by Google

elegit Dominus in hæreditatem ſibi, *ſeu in poſſeſſionem ſuam. Eò quia ſine Deo nulla eſt ſalus.*

Quinta pars. De cælo reſpexit Dominus; vidit omnes filios hominum.

Quas deſcriptiones vobis affirmo eſſe veras, ex diuina prouidentia inſtructione, & primo primam, ita, quod omnis ſalus ſit a Domino; Nam Dominus *omnia preuidens in ſeipſo* de cœlo reſpexit, *nempe, de occulta ſua ſapientia, in qua omnia calantur, & vidit* omnes filios hominum, *nempe, vt alter alterum ſaluare non poteſt, cum omnes ex eorum natura ſint in naturalibus, & humanis viribus æquales.*

De preparato habitaculo ſuo; reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.

Ex diuina pariter inſtructione confirmo alteram propoſitionem, quod ſine Deo nulla eſt ſalus, aut beatitudo, De preparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram; *& ſua certa & infallibili ſapientia cognouit nullum eſſe, qui a ſeipſo poſſit ſaluare ſeipſum, & viribus proprijs ad beatitudinem peruenire.*

Qui finxit ſigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

Quod argumentum a diuina ſapientia deductum eſt multum efficax, & demoſtratiuum. Nam non confuſo modo, ſiue in genere reſpexit ſuper filios hominum, & ſuper habitantes terram, ſed in ſpecie, & ſigillatim vidit, quid operari valeant omnes & ſinguli homines, & in alios, ſeu in ſeipſos, circa propriam, vel aliorum ſalutem. Sic exquiſite cognouit; & aliter eſſe non poteſt, cum ipſe ſit creator ſingularum animarum, Qui finxit ſigillatim corda eorum, *ac etiam rimator eſt, & ſpeculator internarum cogitationum in hominibus, &* intelligit omnia opera eorum. *ſiue bona, ſiue mala ſint, & qua intentione ſint facta, & quantum valeant. Nam qui dat formam, dat & conſequentia formæ.*

Non ſaluatur Rex per multam virtutem; & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.

Præterea, determinata veritas talis propoſitionis ſine Deo non eſſe aliquam ſalutē, manifeſta eſt in hominibus ipſis, dū quis temporaliter putat ſe ſaluare reſiſtendo, & hoc aut viribus humanis Non ſaluatur Rex in virtute ſua, *nempe per virtutem & potentiam exercitus*

Digitized by Google

ditus ſui, aut uiribus nullibus, & gigas nõ ſaluabitur in multitu dine virtutis ſuæ, *cum ſit natura robuſtiſſimus, & alijs formidabilis.*

Fallax equus ad ſalutem; in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.

Inſuper illius propoſitionis veritas perſpicua eſt, dum quis putat temporaliter ſe ſaluare, non equidem reſiſtendo, ſed fugiendo. Quod neq; verum eſt; Nam ſeſſori equus eſt fallax in ſalutem. *per viam fugæ, quia* in abundantia virtutis ſuę non ſaluabitur, *cum equorum velocitas multis modis impediri poſſit.*

Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius. Sexta pars.

Cum igitur clarum ſit, & inſtructione diuina, & exemplis humanis, ſiue naturalibus, quod nullus homo virtute propria, & naturali non poteſt ſaluare ſeipſum, vel alios temporaliter, multo minus equidem poterit ſeipſum beatificare æternaliter. Sed hoc opus principaliter eſt diuinæ electionis, ſiue prouidentiæ & ſuper eos, qui fugiunt mala & ſuper eos, qui operantur bona. Super eos, qui mala fugiunt, Ecce oculi Domini ſuper timẽtes eũ, *qui illius amore a culpis ſe abſtinent; ſuper eos, qui bona operantur,* ecce oculi Domini, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. *nempe, qui bona pro certo agunt, nihil de ſeipſis præſumentes, ſed omnia bona a Deo agnoſcunt, tanq; illorum auctor, & ad eum referunt, tanq; eorundẽ operum finis, & cuius gratia ſunt facta.*

Vt eruat a morte animas eorum; & alat eos in fame.

Qui reſpectus diuinę prouidentię ſingulariter elucent in his beneficijs, Pro eum timentibus, Vt eruat a morte animas eorum, *quando temporaliter liberat a varijs periculis mortis, & ſpiritualiter non ſinit labi in peccata, quę ſunt mors animæ; & pro ſperantibus in eum,* vt alat eos in fame, *vt non deficiat eis panis temporalis pro alimento corporis, & panis ſpiritualis pro nutrimento animæ; cum & corporis, & animæ iuſtorum curam ſingularem Deus, & Dominus eorum habeat.*

Anima noſtra ſuſtinet Dominum; quoniam adiutor, & protector noſter eſt. Septima pars.

His veritatibus de doctrina ſalutis humanæ edocti, vt illam valeamus obti-

obtinere, hoc erit principale, & præcipuum munus noſtrum, vt amemus Dominũ, Anima noſtra ſuſtinet, *& amet* Dominum; *idq; nobis difficile eſſe non poteſt ex parte* Dei, quoniam adiutor noſter *eſt, in bonis adiuuando,* & protector noſter *eſt, a malis defendendo.*

Quia in eo lætabitur cor noſtrum; & in nomine ſancto eius ſperauimus.

Neq; nobis erit difficile ex parte noſtræ vtilitatis, quia dum illum amabimus, & non aliam rem, in eo lætabitur cor noſtrum *& non in alia re præter illum;* & in nomine ſancto eius ſperauimus, *& non in alia re præter illum, cum ipſe ſolus ſit ſaluator, & ſalus noſtra.*

Octaua pars.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos; quemadmodum ſperauimus in te.

Et ne fruſtremur deſiderijs, & optatis de noſtra ſalute ac beatitudine, oro te, & deprecor, vt non ceſſet pietas tua pro nobis in hoc mortalitatis curſu, aut nos adiuuando in bonis, aut nos protegendo a malis, Fiat miſericordia tua Dñe ſuper nos; *idq; concede nobis,* quẽadmodum ſperauimus in te, *& ſicuti nos ipſi nobis promiſimus de tua bonitate; ſic etenim beatitudinis præmium adepti erimus, & per tuam gratiam, & per noſtra merita in tua pietate, & miſericordia fundata.*

Digitized by Google

Benedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus eius in ore meo.

Pſalmus XXXIII.

IN hoc Pſalmo, qui hiſtoriam complectitur & doctrinam, agitur de his virtutibus, quibus inſigniti debent eſſe ij, qui in tribulationibus, & calamitatibus præſentis vitæ poſiti, earum liberationem a Deo deſiderant obtinere. Argumentum.

In eo iſta pertractat Pſalmiſta. 1. præmittit gratiarum actiones pro his beneficijs, quibus Deo deuinctus erat. Benedicam Dominũ. *atq; ad eundem actum alios conuocat.* Magnificate Dominum mecum. Partitio.

2 *Hortatur fideles, vt in eorum tribulationibus ad Deum ſint ordinati per has uirtutes, nempe, per fidem in Deum,* Accedite ad eum. *per ſpem in Deo,* Guſtate, & videte. *& per caſtum timorem in Deum.* Timete Dominum.

3 *Singulariter ſe occupat circa doctrinã filialis timoris,* Venite filij, *explicãs illius utilitatẽ,* Quis eſt homo; *atq; in quibus rebus conſiſtat, nempe, in euitatione mali, quod lingua committitur,* Prohibe linguam tuam. *in fuga mali, quod opere perpetratur,* Diuerte a malo. *& in declinatione a mala cogitatione,* Inquire pacẽ.

4 *Confirmat doctrinam traditam de caſto, & filiali timore per diſpoſitionem diuinæ prouidentiæ ſupra iuſtos, & peccatores, ſeparãdo hos ab illis, tum in curſu mortalis uitæ,* Oculi Domini. *tum in fine eorum uitæ,* Mors peccatorum peſsima.

Pſalmiſta loquitur in perſona propria, qui abſolutis diuinis laudibus, & gratiarũ actionibus ob beneficia multarum liberationum a Domino impetrata, fungitur officio magiſtri moralis, docens quibus uirtutibus præparati, & adornati eſſe debent, qui a Domino liberationẽ impetrare deſiderant earum anguſtiarum, quibus homines ſubijciuntur in hac mortali uita, & pro quibus quotidie ſupplicant Deum. Sed libera nos a malo. Perſona.

Benedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus eius in ore meo. Prima pars.

Dum iugi meditatione cogitarem, quæ fuerint vitæ meæ pericula, a quibus liber & expeditus euaſi, non equidem uiribus humanis, aut impugnando, aut fugiendo ſed tantummodo diuina me auxilian-

te protectione, ne ob iſta liberationis beneficia aliqua ingrati animi nota vnquã aut irreter, aut inficerer, Benedicam Dominnm in *quocunq́ meo ſtatu ſiue proſpero, ſiue aduerſo,* in omni tempore, *non in proſpero tantum, vt multi faciunt, ſed magis in aduerſo, quo a pleriſq́ non benedicitur Dñs, ſed maledicitur, & blaphematur. at ego benedicam Dominum in omni tempore, nec non, & quocunq; loco, aut tempore vſq; in finem vitæ meæ,* ſemper laus eius in ore meo, *vt nunquam obliuiſcar beneficium talis liberationis a tã imminenti periculo vitæ meæ.*

In Domino laudabitur anima mea; audiant manſueti, & lætentur.

Amplius, In Domino laudabitur anima mea, *ſiue lætabitur in Domini benignitate, & clementia, qui non ſolum fuit liberator meus a tantis periculis, ſed etiam multis bonis & temporalibus, & ſpiritualibus me ſua gratia repleuit; quam Domini benignitatem, qua mecum vſus eſt ob meam manſuetudinem,* audiant manſueti, & lætentur, *ſcientes, quod eadem liberatione eos proteget Dominus, cum non ſolum eorum inimicis ex corde demiſerint, ſed illos etiam ab aliorum interfectione defenderint; quæ manſuetudinis præſtantia longe ſuperat cęteros manſuetudinis gradus, ſiue internos cordis, ſiue externos oris.*

Magnificate Dominum mecum; & exaltemus nomen eius in idipſum.

Et cũ horum beneficiorum magnitudo in tãtis uitæ meę periculis meas ſuperet vires, vt impotens, & inſufficiens pro ea gratiarum actione, qua in Deum ſum deuinctus, inuito & conuoco vos manſuetos, de meis liberationibus Magnificate Dominum mecum; *predicãdo, & reſonando laudes eius, quam magnus eſt, non equidem in ſe, quod inexplicabile eſt, ſed in me & in defenſione meæ ſalutis factus eſt magnus, cum ab innumerabilibus periculis. & mirabilibus modis me ſemper liberauerit; atq́ eadem conſideratione & facti, & modi* exaltemus nomẽ eius in idipſum, *nempe, omnes ſimul in vnitate cordis nomen eius mirabile exaltemus, & concordia animæ noſtrę; cum ea quæ mihi pręſtitit pro meis liberationibus, et alijs pręſtare poteſt; non enim alicui eſt ſingularis eius benignitas, ſed multis eſt ſpecifica, atq; omnibus generalis & communis.*

Ex-

Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me; & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Vobisq; atteſtor, quod in omnibus tribulationib. meis ex toto corde Exquiſiui Dñm, *nil aliud quærens, quam ipſum tantummodo, atq; expertus ſum illius bonitatem, tum in bonis, dando mihi ea, quæ poſtulaui,* & exaudiuit me, *tum in malis, liberando me a periculis, quæ contra me a meis inimicis tantæ potentiæ erant comminata, & tentata.* & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini; & facies veſtræ non confundentur. Secunda pars.

At prætermiſſa omni cogitatione de me ipſo, ad vos meum conuerto ſermonem, qui in tribulatione eſtis, quarum ſollicitudinem proijcite in Deum, qui illam ſua benignitate ſuſcipiet, dum adornati eritis his virtutibus, nempe, fide, ſpe & caſto timore in ipſum Deum. Certa profectò, & facilis vobis erit liberatio ab illis, & primo per virtutem fidei, & credulitatis in Deum, dum animo ſtabili de Domino ſentite in bonum, vt vos a quocunq; periculo mortis poſſit liberari, atq; quocunq; modo etiam inexcogitabili a mente humana, ſic etenim Accedite ad eum, *quotquot in tribulatione eſtis, & per fidē tantummodo reſpicite in illum, quando oratis. Cuius virtutis merito, & interius* illuminamini, *quia percipietis lumen diuinæ conſolationis, & lętitiæ reiecto omni nubilo humanæ triſtitiæ de diuina potentia, & exterius* facies veſtræ non confundentur, *cum quæ petitis, ſecure impetrabitis. Certus eſt enim pro vobis omnis acceſſus ad Deum per fidem, quæ eſt primum fundamentum diuinæ gratiæ.*

Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum; & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

Quam diuinæ gratiæ ac liberationis a periculis impetrationem atteſtor vobis in me ipſo; nam, Iſte pauper, *qui omnē ſuam confidentiam in Domino vere poſuit, repulſa omni re creata, neq; de ſeipſo aliquid vnquam præſumens,* clamauit, *dum in tribulatione, & anguſtia ob pericula grandia, & ineuitabilia vitæ ſuæ erat poſitus,* & Dominus exaudiuit eum, *ac illius votum, vti reipſa demonſtrauit,* & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum, *ſicuti placuit diuinæ voluntati, & eius infinitæ potentiæ.*

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum; & eripiet eos.

Idq; apertum eſt etiam ratione diuinæ prouidentiæ in homines per miniſterium angelorum, quibus demandata eſt cura, & ſollicitudo pro cuſtodiendis ipſis hominibus Quam cuſtodiam ſummo amore, & deſiderio amplectuntur, aſſiduaq; protectione muniunt ſua cura deputatos, ac mira potẽtia eos ſaluãt a tẽtatione culpæ quo ad animas, & a vexatione pœnæ quo ad corpora. Ecce promptitudo, & deſiderium cuſtodiæ, Immittet Angelus Domini, *non tardat angelus, ſed ipſe ſeipſum immittit ad cuſtodiendum; ecce continua protectio,* in circuitu timentium eum, *cum more caſtrorum cuſtodiunt timentes Dominum, & qui eius faciunt voluntatem; ecce mira potentia,* & eripiet eos. *vt neq; peccata committant, neq; pereant ob quæcunq; pericula, & infortunia.*

Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus; beatus vir, qui ſperat in eo.

Sed vlterius progredimini, dum oratis Deum, qui eſtis in tribulatione, vt non ſolum per fidem lumen internæ letitię percipiatis de diuina potentia pro veſtra liberatione, ſed per ſpei virtutem Guſtate, quoniam ſuauis Dñs videte quoniam ſuauis eſt Dñs; *guſtate, & experimento diſcite, quoniam ſuauis, ac benignus eſt Dominus in promiſſis ab eo factis, ut quę promittit, tuto & ſine vlla cunctatione prę ſtat, & operi mandat. videte quoniam ſuauis ac beneficus eſt Dominus, his omnibus, qui inuocant illum, ea in eum confidentia, vt cęteris rebus ſpretis illi tantummodo inhęreãt per viuam ſpei virtutem. Et de hac in Domino confidentia nulla eſt dubitatio,* beatus vir, qui ſperat in eo. *& qui uera ac viua ſpe recumbit in eo, ac illius promiſſionibus; cum Dominus non ſolum omnibus benefacit, ſed etiam per os eius certi ſumus ſuę beneficentię per illius in nos mirabiles effectus.*

Timete Dominum omnes ſancti eius; quoniam non eſt inopia timentibus eum.

Sed pręter fidem ueſtram, ac ſpem in Domino, aſſumite & caſtum timorem Domini o uos oẽs ſancti eius, *& qui iam firmi ſtatis per ſuperiores uirtutes in promiſſis Domini, dico* Timete Dominum, *qua uobis non ſufficit, aut credere diuinam potentiam, aut ſperare in eius benignitate, ſed addite, & timete Dominum, ne unq; in aliquo*

eum

Digitized by Google

eum offendatis tanquam Patrem ueſtrum, aut neſtrarum animarũ ſponſum, ſed ueſtra uoluntas ſit in omnibus ſuę uoluntati conformis, omniq; cura ſeruatè uerbum eius. Qui timor nobis ualde eſt neceſſarius, tanquam uera, & abſoluta perfectio hominis. Quoniam non eſt inopia, *ſiue aliquus defectus* timentibus eum. *Sic etenim, time Deum, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo, nempe, hoc eſt eſſe perfectum hominis, cui nihil addi, aut diminui poteſt.*

Diuites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Quod uero in timore Domini non cadat aliquis defectus, ſiue inopia, aut imperfectio quam clariſſime patet ex oppoſito ſtatu inter diuites huius ſaeculi, & inter inquirentes Dominum. Nam diuites & amatores mundi ſi habent diuitias, eguerunt, *cum ſemper appetãt plus habere, ſi non habent* eſurierunt; *atq; hi oẽs ſemper carent omni bono ſecundum illorum deſideria. At* inquirentes Dominum *per fidem, ſpem, & timorem caſtum* non minuentur omni bono, *hoc eſt, nullo carebunt bono, ſed abundabunt omni bono, tum ſpirituali ad ſalutem, tum corporali ad neceſſitatem; quia illis Dominus eſt omne bonum, non inſtabile ſed ſtabile, non fallax ſed uerum, non expoſitum periculis, ut inſtabiles, & fallaces diuitię, ſed purum & ſimplex bonum.*

Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos.

Et cum caſtus & filialis timor ſit firmum, & ſtabile fundamentum, cui innititur vniuerſa hominis perfectio, de eo pręſertim clara & diſtincta cognitio eſt habenda; ſic itaq; Venite filij, *qui diſciplinæ ſtudio zelatis,* audite me *diligenter,* timorem Domini docebo vos; *nempe, quod hominibus nihil eſt utilius, atq; in quibus rebus conſiſtat, ut quis illum apprehendere, & poſſidere poſſit.* Tertia pars.

Quis eſt homo qui vult vitam; diligit dies videre bonos?

Cuius timoris tanta eſt utilitas, quod non ſolum praeſtat hominibus beatitudinem in hac mortali uita, ſed etiam eam, qua quis fruetur in ęterna & immortali uita. Idq; clare patet, Quis eſt homo qui vult vitam; *nempe, felicem ac beatam in hac uita, &* diligit dies videre bonos? *ſiue ad uidendum, & poſſidendum bonum in altera uita? is etenim homo apprehendat timorem Domini, qui eſt efficax medium & tuta uia, ut ille homo obtineat beatitudinem ſpei*

Digitized by Google

in vita mortali, & inde tranſeat ad beatitudinem rei in æterna vita.

Prohibe linguam tuam a malo; & labia tua ne loquant̄ dolū.
Et pro acquiſitione tanti boni, ſit tibi hæc prima regula, vt euites peccata linguæ, ne aliquem offendas, aut in aperto, aut in occulto. Non in aperto, Prohibe linguam tuam a malo, *nempe cōtentionis, detractionis, & murmurationis. Non in occulto, & doloſe.* & labia tua ne loquantur dolum, *per adulationes, mendacia, ac alias deceptiones in nocumentum proximi tui.*

Diuerte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & perſequere eam.
Sit tibi pariter hæc ſecunda regula, vt fugias omnia peccata operis tam commiſſionis, quam omiſſionis; Diuerte a malo *ne aliquem offendas in perſona per homicidium, vel in ſubſtantia per furtum, aut in perſona ei coniuncta per adulterium;* & fac bonum, *vt Deus ſuo tempore colatur, parentes honorentur, orationes, & ieiunia, ac alia pia opera libenter a te amplectantur. At tertio & vltimo ſit tibi hæc altera regula, vt euites peccata cordis, nempe, peccata iræ, odij, inuidentiæ, & quæ animum interius commouent ac pertubant. Sed pro viribus tuis,* inquire pacem, *vt in teipſo ſenſus ſubijciatur iuſto imperio rationis, quantum fieri poteſt; & perſeueranter inquire eam,* & perſequere eam, *bonis nempe operibus, quouſq; ad pacem perfectam in cœlis peruenias, quando ſine aliqua rebellione carnis ſpiritus tuus erit perfecte vnitus cum Deo.*

Oculi Domini ſuper iuſtos; & aures eius in preces eorum.
Quarta pars.
Quam doctrinam de diuino timore a me traditam, vnuſquiſq; cognoſcere valet veram ac indubitatam eſſe, dum perpendit diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, quam exercet in eos, qui illum timent, & in eos qui eum non timent. Super iuſtos, & eum timentes ita ſe habet Dominus, quod ſingulari prouidentia de eis in hac vita curam gerit, & quando eis imminent mala, quæ a iuſtis non cognoſcuntur, & quando ea ab illis percipiuntur. Si eorum mala non vident, aut nō intelligunt, ecce, Oculi Domini ſuper iuſtos. *qui namq; pro ſuis vigilat, & liberat ab incognitis malis. Si autem ipſi propria mala vident, & pro eorum liberatione exorant Deum,* & aures eius in preces eorum. *Non tantum aures eius ad preces, ſed in preces, quia antequam illas emittant, eas exaudit Dominus; & ſi non ad votum ſemper, attamen ad vtilitatem, & profectum eorum,*

non

Digitized by Google

non aliter quam prudens medicus, qui ſemper exaudit infirmum quem ſuſcipit curandum.

Vultus autem Domini ſuper facientes mala; vt perdat de terra memoriam eorum.

At ſuper eos, qui eum non timent, & operantur mala tranſgreſſionibus contra diuinam legem, ſic ſe habet adiratus, & indignatus, Vultus autem Domini ſuper facientes mala, *non vt eos cuſtodiat, ſed* vt perdat de terra memoriam eorum, *ac funditus extermi nentur, & ipſi, & eorum filij, & nepotes, ac poſteri omnes, donec memoria eorum aboleatur. Quæ iuſta punitio tunc habet locum, quando vel ipſi, vel eorum deſcendentes non redierint ad ſe ipſos, ſed vitam in peccatis impœnitenter terminauerint.*

Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos; & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Et exemplo antiquorum iuſtorum illuſtratur effectus diuinæ prouidentiæ ſuper iuſtos, & eum timentes; nam, Clamauerunt iuſti *in eorũ tribulationibus*, & Dominus exaudiuit eos *eorũq; volũtates ac petitiones, ut reipſa demonſtrauit*, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos, *terminando temporaliter eorum calamitates, quibus grauiter afflicti, & humiliati erant.*

Iuxta eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde; & humiles ſpiritu ſaluabit.

Sed præter modum terminationis temporalis, qua Dominus liberauit illum timentes, alio etiã mirabili modo continue liberat, nempe, per ſpiritualem conſolationem in preſenti tempore, & per perfectam liberationem pro altera vita. Ecce vna liberatio ſpiritualis, Iuxta eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde; *dum patientiam eis adminiſtrat, & conſolationem cæleſtem admiſcet, vt æquo animo tormenta, & tribulationes ſuſtinere poſſint: ecce altera liberatio, & praſtantior*, & humiles ſpiritu, *ſiue afflictos corde* ſaluabit, *dum poſt grauitatem tribulationis eruet eos de omni anguſtia, donando illis coronam uitæ eternæ.*

Multæ tribulationes iuſtorum; & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Et eo mirabilius relucet diuinæ prouidentiæ cura in iuſtos & eũ timentes, quod ea nullatenus impediri poteſt aut multitudine tribulatio-

Digitized by Google

num, quas ſuſtinent iuſti, aut immanitate perſequutionum, quando iuſtorum membra ſunt fracta, & diſſipata ſiue a beſtijs deuorata. Nõ equidem innumerabilis tribulationum multitudo tollit ulla ratione diuinam prouidentiam: quia etſi Multæ *ſint* tribulationes iuſtorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus, *aut per terminationes temporales, aut per liberationes ſpirituales.*

Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum; vnum ex his non conteretur.

Neq; diuinam prouidentiam tollit crudelitas ſiue immanitas tribulationum, quas in eorum corporibus ſuſtinent iuſti; quia Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, *nempe in ſecreto ſuę diuinæ diſpoſitiotionis,* vnum ex his non conteretur, *atq; neque penitus peribit, ſed integra omnia & glorioſa in reſurrectione reſtaurabuntur.*

Mors peccatorum peſsima; & qui oderunt iuſtum, delinquent.

Sed grauiori diſtantia ſeparati pariter erant timentes Dominum a non timentibus in fine eorum uita pro altera uita; quod apertum eſt, eo ſeuero, & ineuitabili decreto. Mors peccatorum peſsima. *Peccatores impœnitentes non terminant ſuos cruciatus, & miſerias in eorum morte, ſed eorum mors eſt initium cruciatuum æternorum. Ac etiã propter ſuam malitiã peribunt.* & qui oderunt iuſtum; *nẽpe illũ in hac uita uexãdo, detrahendo, ꝑ ſequendo,* delinquent, *& fruſtrabuntur ſuo propoſito, ac ſua exiſtimatione, ſe, nempe, eſſe uictores ſuper iuſtum, ſed æternis pœnis laſſati, & conſumati erunt.*

Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum; & non delinquent omnes, qui ſperant in eo.

At iuſtorum mors erit pretioſa, quæ eſt requies tribulationum ſæculi, & initiũ gloriæ ſempiternæ. Eſt requies & liberatio ab omni malo, Redimit Dominus animas ſeruorum ſuorum. *cum eas eduxerit de carcere corporis. erit initium uitæ eternæ,* & non delinquent omnes, qui ſperant in eo, *cum non fruſtrabuntur ſiue errabunt a ſua certa ſpe, ſed tuto peruenient ad præmium ſempiternæ uitæ in cælorum regno.*

Digitized by Google

Iudica Domine nocentes me; expugna impugnantes me.

Pſalmus XXXIIII.

IN *hoc Pſalmo, qui exponitur ſecundum ſenſum propheticum, agitur de Chriſti Domini paſſione, quæ admodum fuit acerba, & grauis, et pro nunc conſideratione, cum ex parte Iudæorum fuerit iniuſta, falſa, conſpiratoria, iniqua, crudelis, deriſoria, ac latabunda.* Argum.

In eo ſub perſona Chriſti Domini iſta pertractat Pſalmiſta. 1. *Petit a Deo Patre tanquam a beuatore auxilium diuinæ protectionis.* Iudica Domine. Partitio.

2 *Predicit, quæ mala imminent ſuis perſequutoribus, tam interna.* Confundantur, & reuereantur. *quam externa.* Fiant tanquam puluis.

3 *Explicat grauitatem ſuæ paſſionis, quia eſt iniuſta.* Quoniam gratis abſconderunt, *& qualiter ſe geſſerit in hac prima perſequutione.* Veniat illi laqueus.

4 *Eandem grauitatem exponit, quia eſt falſa.* Surgentes teſtes iniqui, *& qualiter ſe geſſerit in hac ſecunda perſequutione.* Ego auté.

5 *Eandem paſſionis grauitatem exponit, quia est conſpiratoria.* Et aduerſum me lætati. *& qualiter ſe habuerit in hac tertia perſequutione.* Domine quando reſpicies.

6 *Illius grauitatem aperit, quia fuit iniqua, crudelis, ac deriſoria.* Quoniam mihi quidem, *& qualiter ſe geſſerit in his perſequutionibus.* Vidiſti Domine.

7 *Precatur ſupplicia his qui gratulantur de eius malis.* Erubeſcant, & reuereantur, *& premia his, qui cupiunt ſuam paſſionem palam apparere.* Exultent, & lætentur.

8 *Promittit gratiarum actiones pro acceptis beneficijs.* Et lingua mea.

Pſalmiſta loquitur in perſona Chriſti Domini, qui conſiderans quę a Iudæis paſſurus erat Chriſtus in ſua paſſione demõſtrat, illam fuiſſe grauem & acerbam ex parte Iudęorum multis de cauſis, nempe, ex eorum iniuſtitia, ex falſitate, ex coniuratione, ex iniquitate, ex crudelitate, ex deriſione ac eorum iucunditate, dum videbant eum pendentem in cruce, & ex neceſſitate ſecundum illorum iniquitatē, & malitiam mori inter latrones. Qui Chriſtus Dominus nil mali Perſona.

vnquam geſſit contra eos, nullumq́; peccatum commiſit, publice eos docuit, ad ſimplicitatem & innocentiam eos adhortans, illis fuit benefactor humanus, pro illis ſæpius orauit, & multum contriſtatus eſt de eorum lapſu, & perditione.

Prima pars.

Iudica Domine, nocentes me; expugna impugnantes me.
O Domine Pater, cum pro certo prœuideam quæ & qualia attrocia, & grauia ſint a me ſuſtinenda in mea paſſione, ita vt a meis perſequutoribus nequeam me defendere per eorum expugnationem, aut me liberare per fugam ab illis, ad præſidium tui diuini auxilij cogor cōfugere; atq́; te valde precor, vt in hac mea paſſione ſis pro me, & bellator iuſtus, & bellator fortis. ſis iuſtus, vt agas cauſam meam contra eos, qui mihi nocere intendunt. Iudica Domine nocentes me: *cum tuæ ſapientiæ ſit, ſimplices & innocentes defendere a malorum caliditate & malitia. ſis fortis contra eos, qui me expugnare contendunt,* expugna impugnantes me, *quia tua potentiæ pariter eſt, humiles & afflictos ſubleuare ab iniquorum proteruia, & potentia.*

Apprehende arma, & ſcutum; & exurge in adiutorium mihi.
In quo bellico conflictu, vt ſis pariter pro me inſuperabilis & bellicoſus, mun ite armis diffenſiuis, & offenſiuis; muni te deffenſiuis, & primo ſume ſcutum in manu tua contra ictus inimicorum, Apprehende arma, & ſcutum, *& his præparatus,* exurge in adiutorium mihi, *vt & ego per tuam gratiam munitus armis deffenſiuis patientiæ, tollerantię, ac manſuetudinis valeam intrepide ſuſtinere ictus, & varias tribulationes inimicorum in hac mea paſſione.*

Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me; dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.
Muni te etiam armis offenſiuis, Effunde frameam *euagina, & vibra gladium; & potenter interclude eis viam, ne me comprehendere valeant* & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me, *Quibus armis & ego pariter protectus nempe ſapientia, & prudentiâ expugnem quęcunq́; falſa, & quacunq́; temeraria contra me prolata erunt. Sed dimiſſo armorum apparatu, pro tua in me protectione ſufficit mihi tantummodo tua promiſſio,* dic animæ meæ, Salus tua ego ſum: *hac etenim munitus, æquo, & libenti animo ſuſtinebo omnia a Iudæis contra me comminata, ea certe ſpe confiſus, quod*

ſaluus

Digitized by Google

ſaluus ero, & mortis meæ glorioſus victor euadam per meam celerē reſurrectionem; idq́, cadet in gloriam tuam, Domine Pater, in honorem meum, in ſalutem humani generis, & in confuſionem inimicorum, qui me fuerint perſequuti.

Confundantur, & reuereantur; quærentes animam meam.

Secunda pars.

Et præter diuini auxilij præſidium, cuius confidentia ego ſaluus ero, vt pro me ſtat diuina promiſſio, ne etiam aliquo excuſationis prætextu occultare audeant iniquas contra me perſequutiones; quæ mala his mihi nocentibus, & me expugnantibus imminent, ſpiritu prophetico prędico, & primum. Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam. *nempe, hi inimici, qui omni eorum conatu quęrunt penitus delere animam, & vitam meam, confundantur animo in ſeipſis de eorum fruſtrata expectatione, & victoria contra me, ut nequeant me penitus perdere; et reuereantur, ſiue erubeſcant vultu apud homines, cum viderint me non fuiſſe abſolute occiſum, ſed tanquam occiſum, immo celeri reſurrectione eſſe primogenitum mortuorum, vt amplius non moriar in æternum.*

Auuertantur retrorſum, & confundantur; cogitantes mihi mala.

Præterea alijs internis malis, Auuertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala, *nempe, hi inimici, qui cogitant mala in mei perniciem, vt auferant è medio fidem, & religionem meam pro Eccleſia Chatolica in futurum ædificanda, hi pariter auertantur retrorſum, & ſe remoueant ab omni iniquo eorum propoſito non valentes perficere quod intendunt; & confundantur, pariter in ſeipſis, cum fides mea erit prædicata per vniuerſum orbē, & firmiter ſeminata in cordibus fidelium, vna cum deſtructione cruentoſi cultus, & veteris ſacrificij per animalia occiſa.*

Fiant tamquam puluis ante faciem venti; & Angelus Domini coarctans eos.

Præter iſta mala, quibus grauiter afflicti erunt mei inimici in ſeipſis, ſuſtinebunt etiam, & multa mala externa, atq́, ante omnia, vt diſpergantur, & fugere cogantur; diſpergantur; Fiant tamquam puluis ante faciem venti, *vt magno impetu, & velociter per varias, & diuerſas partes mundi ſint diuiſi; fugire cogantur,* & Angelus Domini coarctans, *& impellens eos nempe, fugere, vt qui prius erat princeps & tutor populi Iudaici, ſit modo illi aduer-*

Digitized by Google

ſarius, & cogat eos recedere a proprijs ſedibus.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum; & Angelus Domini perſequens eos.

Et fugientes non inueniatur cognitione viarum, Fiat via illorum tenebræ, *& fiat tenebroſæ illorum via, ne videant qua & quo ſit fugiendum; non inueniatur itinere tuto & ſtabili, fiat via illorum* lubricum, *vt cadant dum fugiant; neq́; inueniatur aliquo loco firmo, & ſtabili quo poſſint conſiſtere & habitare*, & Angelus Domini perſequens eos.

Tertia pars.

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui; ſuperuacue exprobauerunt animam meam.

Neq́; ſine cauſa tanta illis prædixi, & comminatus ſum mala ex zelo iuſtitiæ, vt in omnibus reſpondeam diuiuinæ voluntati, atq́; illius iuſtitiæ, quoniam primaria ac principalis eorum contra me perſequutio fuit in perditionem vitæ meæ, & iniuſte; ac in perditionem mei nominis, & honoris, idq́; pariter iniuſte; ecce vna pars tantæ perſequutionis, Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, *cum cogitauerint mihi inferre mortem, a qua nulla vi aut potentia effugere valerem, vti contingit auibus, vel ſylueſtribus animalibus, quæ vel rete vel laqueo capiuntur, atq́; ſeipſos abſcondere & alijs velle pſuadere ab ea morte eſſe immunes & nil mali cõtra me intulliſſe. ecce altera pars tam grauis perſequutionis*, ſuperuacue exprobauerunt animam meam, *meq́; iniurijs conuitijs, ludribijsq́; afficientes, vt apud fideles omnes mei memoria funditus tolleretur, ac deleretur.*

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat eum; & in laqueum cadat in ipſum.

Et cauſa tantæ grauis & iniuſtæ perſequutionis ex zelo iuſtitiæ precor Deum, ut ſua diuina prouidentia illis eademmet mala eueniant, quę mibi abſcondere intendebant, ac etiam per eoſdem miniſtros illa eis eueniant, quę mihi ſua doloſitate inferre voluerunt. Sic etenim Veniat illi, *populo Iudæorum* laqueus *quem ignorat, & eſſe in futuro pręparatũ (ita eorum doloſitate exigente)* & captio, *quã abſcondit contra me*, apprehendat eum, *vt ſicuti Iudęorum opera captus fui per Romanos milites, ac ipſi pariter in punitionem ſui criminis capientur per Romanos Imperatores;* & in laqueum cadat in ipſum, *& non in alium, ſed in eundem ipſum, quem mibi*

tende-

tenderunt, vt ſicuti in mortem fui traditus per Romanos carnifices & ipſi in eundem laqueum mortis cadant per milites crudeles, & immittes Romanorum.

Anima autem mea exultabit in Domino;& delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Et propter hunc actum iuſtitię vendicatiuę quem Dominus pro me exercebit contra Iudęos,non equidem exultabo de eorum perditione & deſtructione. ſed vt charitas ordinata ad ſeipſum requirit, repletus ero immenſa lętitia ob meam ſalutem, & ex parte animę, & ex parte corporis. Ex parte anima, Anima autem mea exultabit in Domino, *& in beneplacito ſuę diuinę voluntatis, eiq́; gratias agam, ſed vlterius* delectabitur *iucunda iubilatione* ſuper ſalutari ſuo, *quo ego ſaluatus ero a morte, vt diu non deteniar in morte, ſicuti illum ſum deprecatus, vt ille ſit mea ſalus.*

Omnia oſſa mea dicent; Domine, quis ſimilis tibi?

Ex parte etiam corporis repletus ero ea lætitia, vt non tantum membra mea, & modo quo illis conuenit, iucundabant, ſed ipſa oſſa inſenſibilia, atq; Oı̃a oſſa mea dicent, Domine,quis ſimilis tibi *in mirabilibus tuis circa corpora humana, quę dum pereunt, eodemmet tempore ſaluas.*

Eripiens inopem de manu fortiorum eius; egenum, & pauperem a diripentibus eum.

Et veritate certa nos profitemur, o Domine, quis ſimilis tibi in rebus creatis, vt tu, qui es Eripiens inopem *& ab omnibus diſtitutum* de manu fortiorum eius, *ſiue eo; dum illum inopem a morte, quam illi intullerunt eo potentiores, ad vitam reuoces, vt amplius inimicorum potentia corpus illius non ſit ſubiectum. Pariter tu es, qui es* eripiens egenum, & pauperem, *atq́; bonis omnibus ſpoliatum,* a diripientibus eum, *dum hunc pauperem, qui prius ab hoſtibus per diuerſas partes per vim raptus, & diſſipatus erat ſuo corpore, reuocas ad vitam ſanus, & integer corpore; vt amplius hoſtium ſuorum malignitati, & volentię membra illius non ſint ſubiecta. Profectò nullus ſimilis erit tibi hac potentia, hac ſapientia, atq; bonitate diuina.*

Quarta. pars

Surgentes teſtes iniqui; quæ ignorabam, interrogabant me.

Altera uero ratione tāta mala imminēt inimicis meis, vt illis prædixi, quia eorum contra me perſequutio fuit falſa. Primario fuit iniuſta, et iniuſta mea paſſio, at nūc addo, ꝙ fuit falſa illorū pſequutio. Quia falſa contra me depoſuerunt hi praui homines, qui fuere contra me teſtes falſi & iniqui, ac teſtes falſi & temerarij. contra me teſtes iniqui, Surgentes contra me teſtes iniqui, *qui non expectauerunt citationem, ſed ex ſe, & per ſe venerunt ad teſtificandum contra me, quod eſt contra formam omnis recti iudicij. Contra me teſtes falſi, & temerarij,* quæ ignorabam, interrogabant me. *cum coram iudice audebāt me arguere, & reprehendere de his reb. falſis, quæ neq; feceram, neq; cogitaueram facere. idq; pariter aduerſatur veræ formæ omnis iudicij.*

Retribuebant mihi mala pro bonis; ſterilitatem animæ meæ.

Præter defectus horum teſtium in forma iudicij, aderant & defectus in illis ex parte meę, quia in illis non fuit vnq̄ aliquis veritatis zelus, ſed tantummodo odium, malignitas, & maxima ingratitudo. Retribuebant mihi mala pro bonis, *& pro tantis bonis quæ eis contuli in omni genere bonorum & quo ad eorum animas, & quo ad eorum capita. Nec non & ita retribuebant mihi mala, ac ſi ego illis fuiſſem ſemper ſterilis, & ſine aliquo fructu bonorum operum in eorum ſalutem, ſic etenim retribuebant* ſterilitatem animæ meæ, *quod mihi erat magni mæroris.*

Ego autem cum mihi moleſti eſſent; induebar cilicio.

At ego in hos falſos, & ingratos ita animo & opere fui diſpoſitus, vt nunq; aut parum abfui a fraterna charitate pro eorum ſalute; nam ante omnia cum mihi moleſti eſſent, *ſuis falſitatibus contra me, et in me ſæuirēt ſuis clamorib. ad mortē crucis, nūquā cogitaui vindictam ſumere, quod mihi facile erat ob potentiam meæ diuinitatis, ſed omnia patienter & humiliter ſuſtinui, & in ſignum meæ humilis mortificationis,* induebar cilicio, *nempe, ſub cilicio mortalis carnis tunc velabam operationem diuinitatis, & potentiæ meæ.*

Humiliabam in ieiunio animam meam; & oratio mea in ſinu meo conuertentur.

Præter hanc cordis mei mortificationem in his aduerſis, oraui, & pro

illis

illis; quæ mea oratio, vt eſſet efficacior apud Deum, coniuncta erat cum ieiunio ſpirituali, & ſiti ſalutis animarum ſuarum, ſic etenim hulimiabam *& affligebam in* ieiunio animam meam. *Et pro certo teneo, quod oratio ex tanta humilitate profecta non reuertetur ad me vacua, ſed ſinũ meũ cæleſti conſolatione implebit.* Et oratio mea in ſinu meo conuertetur.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebã; quaſi lugens, & contriſtatus, ſic humiliabar.

Sed ſigna externæ charitatis illis etiam exhibui, tam in eorum proſperitate, quam in eorum aduerſitate. In proſperitate & in eorum conuerſione a me multum deſiderata ſic complacebam *cum eis,* quaſi ad proximum *meum,* & quaſi ad fratrẽ noſtrum *nempe, carnalem; & in aduerſitate, ac eorum perditione ſic* humiliabar, *& affligebar* quaſi *pater* lugens *filium*, & contriſtatus, *de eius erroribus ac malis.*

Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt; congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. Quinta pars.

Tertia de cauſa meis hoſtibus denũciaui ſuorum malorum acerbitatem, eo quia & vlterius progreditur illorum contra me perſequutio, quæ fuit etiam conſpiratoria; & iure merito tertio loco ponitur iſta conſpiratio, quia iuxta ordinem praua eorum intentionis contra me prius cogitauerunt me iniuſte perdere, & hoc per falſos teſtes, atq; falſos teſtes adinuenerunt per conſpirationem, quando toties congregati ſunt in eorum concilijs. Quæ conſpiratio facta fuit vnanimi & læto conſenſu in mei perniciem, ſibi ipſis promittentes liberationẽ a multis malis. Ecce communis conſenſus et lætus in conſpirationẽ, Et aduerſum me lętati ſunt, & conuenernnt, *quid nempe ab eis deliberandum eſſet contra me, & pro eorum conſeruatione a malis, quæ cogitabant ipſis imminere. Ecce deliberatio conſpirationis,* congregata ſunt ſuper me flagella, *ſiue ſuper me cõgregati sũt flagellantes me flagellis, vt morte violenta, & attroci terminarem dies meos. Quæ flagella* ignoraui, *tum quia ita me patienter geſſi, ac ſi quid facerent, ignorarem: ſiue ignoraui ſecundum eorum opinionem, cum in me ita inhumani & crudeles extiterint, vt longe ſuperaret omnem captum humanum attrocitas, & immanitas flagellorum meorum.*

Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentauerunt me, ſubſſanauerunt me ſubſanatione; frẹnduerunt ſuper me dentibus me.

Inſuper inſuperabilis fuit horum perfidorum coniuratio, cui adhærebat huiuſmodi obſtinatio, vt penitus vana extitit ominis ſpes aut perturbandi, & diuidendi conſpirationem, aut eam euadere poſſe; idq; clarum eſt, quod diſſipati ſunt, *& attoniti facti viſis tot miraculis, & ante paſſionem, & in ipſa paſſione*, nec *tamẽ* compun cti *ſunt de ſua iniquitate ad pœnitentiam; ſed deteriora perpetrata ſunt contra me, & conuicia, & ludibria, & me pendentem in cruce; ſic etenim in ea obſtinata malitia perſiſtentes.* tentauerunt me *de diuinitate, Si filius Dei es, deſcende de cruce*, ſubſanauerunt me ſubſanatione, *de potentia, Vha quia deſtruis templum Dei*, frẹnduerunt ſuper me dentibus ſuis, *quaſi beſtiæ feroces, & indomitæ concutientes dentes frẹnduerunt contra me, maioris ac crudelioris vindictẹ contra me auidiſſimi, & cupidiſſimi.*

Domine, quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

At mi Domine Pater, tolleraris a me tot perſequutionibus aduerſariorum, qui fuerunt contra me iniuſti homicidæ, teſtes iniqui, & conſpiratores duri, & proterui, quando reſpicies? *quanto tempore iſta in me feres, & me ſaluabis? Te deprecor ex toto corde, ut citius reſurgam, & reſurgam impaſſibilis, & immortalis. citius reſurgam*, reſtitue animam meam *meo corpori* à malignitate eorum *liberatam, vt conuicijs, & blaphemijs amplius me non afficiant; reſurgam impaſſibilis & immortalibus*, a leonibus *erue* vnicam meam, *quia caro mea ſola ſine peccato fuit concepta, & hanc erue a Iudæis, ut hanc nequeant amplius dilacerare, cum facta erit impaſſibilis, neq; deuorare, cum facta erit immortalis.*

Confitebor tibi in eccleſia magna; in populo graui laudabo te.

Et in ſignum grati animi ob tam ſingulare meritum meẹ reſurrectionis, quam a tua diuina potentia obtinebo, Confitebor tibi, *& non in eccleſia parua Iudẹorum, ſed* in eccleſia magna *Catholicorum, ex omnibus gentibus & nationibus in unam fidem congregata, ita ut omnibus aperta ſit, & quam euidens exiſtat mea a mortuis reſurrectio tertia die facta. atq;* in populo graui laudabo te, *nempe in populo maturo & modeſto uirorum, qui non mouentur quolibet*

tenta-

Digitized by Google

tentationis vento, ſed pro certo tenebunt atq; diffundent omnibus mo dis, & per doctrinam, & per ſanguinis effuſionem hanc meam reſurrectionem factam in mei honorem, gloriæ patris, & ſalutem humanę naturæ.

Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi inique; qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Inſuper, oro te, Domine Pater, reſtitue animam meam meo corpori, non tantum ob gloriam meam, & ſalutem fidelium, ſed etiam in de decus Iudæorum, vt Non ſupergaudeant mihi, *& ſuper me; nempe, hi Iudæi, qui ſuis prauis votibus exiſtimarunt ſe ſatisfeciſſe, vt penitus ego delerer, & nomen meum pariter deleretur in cordibus credentium, & me ſequentium. Et iuſtis de cauſis hac efficatia te, Domine, precor, & primo,* quoniam perſequuti me inique, *& ex ſola voluntate nocendi, cum iſtis ſemper contulerim multa beneficia, ſecundo,* qui oderunt me gratis, *& ſine vlla mea culpa, cum nunquam a me fuerint laceſſiti aut verbis aut factis, tertio* & annuunt oculis *cum ſignis externis ac tacitis nutibus concitent alios ad me decipiendum, ac deridendum.*

Quoniam quidem mihi pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant. Sexta pars.

Quarta de cauſa, denuntiaui, & comminatus ſum tot aduerſa meis inimicis, & quia eorum perſequutio contra me fuit etiam iniqua, crudelis, & deriſoria. Fuit iniqua, Quoniam quidem mihi pacifice loquebantur, *ſub prextu amicitiæ, attamen* loquentes dolos cogitabant, *volentes me eorum ſermonibus decipere, & hoc propter eorum auaritiam in* iracundia terræ, *ne locum terrenum, & gentem temporalem perderent, vt ipſi exiſtimabant, ſi ego viuerem.*

Et dilatauerunt ſuper me os ſuum; dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi noſtri.

Fuere pariter contra me crudèles, & his crudeliores inueniri non poſſunt, qui prope me exiſtentes, dum eram in cruce, mihi nulla in re compatiebantur, ſed dilatauerunt, *& laxauerunt ſuper me os ſuũ, vt contumelijs, probris, blasphemijs, ac ludibrijs me grauiter afficerent. Inſuper contra me fuere etiam deriſores ac diſſolutis riſibus magnam præſeferẽtes uoluptatem ac lætitiã de mea morte, &* dixerunt, Euge, euge, *bene nobis, bene nobis, quia* viderũt oculi noſtri,

ſtri, quod deſiderauimus, nẽpe, me perdere in cruce, & cum latronib. vitã finere; et de hoc nobis nulla eſt dubitatio, oculis noſtris perſpeximus illũ mortuũ in cruce pendere inter mortuos latrones crucifixos.

Vidiſti Domine, ne ſileas; Domine, ne diſcedas à me.

Quid in hac tam graui, & vltima perſequutione dicam, non habeo equidem, mi Domine; Vidiſti Domine *ex vna parte innocentiam meam, & ex altera parte perſequentium efferratam malitiam. Iſtis rebus a te cognitis, exerce iuſtitiam tuam contra Iudæos, & pro me. Contra Iudæos,* ne ſileas *neq; diſſimules has contra me iniquitates abſq; debita pœna. Pro me vero,* ne diſcedas a me, *per ſubtractionem tui diuini auxilij, neq; per ſeparationem diuinitatis ab mea humanitate.*

Exurge, & intende iudicio meo; Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam.

Pro ea expeditione, quæ ad me pertinet, te rogo, Exurge *expergiſcere, atq; pro terminatione cauſæ meæ hęc duo conſidera* o Deus meus, & Dominus meus, *vnum eſt; vt memoria teneas meam paſſionem,* intende iudicio meo, *nempe quo a Iudæis fui iudicatus ad mortem crucis, alterum eſt; quod eam mortem paſſus ſum pro ſalute hominum, & non pro peccatis meis, ac ita reſpice* in cauſam meam, *cum cauſa mortis fuit charitas mea pro humana redemptione a poteſtate diaboli, & a difformitate peccati. Quibus meritis promerui celeritatem reſurrectionis meæ.*

Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam Domine Deus meus; & & non ſuper gaudeant mihi.

Contra Iudæos vero, te obſecro, O Domine Deus meus; iudica me *& vlciſcere me, idq; fac,* ſecũdum tuã iuſtitiam, *qua tueris aliorum innocentiam, & punis malos, ac delinquentes, & fac vt* nõ ſupergaudeãt mihi, *ſiue de me, & de meis malis lætentur quaſi glorioſi victores, & conſequantur eorum primarium intentum perdere me, ac delere nomen meum a cordibus in me credentium.*

Non dicant in cordibus ſuis, Euge, euge, animæ noſtræ; nec dicant, Deuorabimus eum.

Inſuper, non exultent amplius de optatis deſiderijs contra me, ſed per tuum iudicium ſit impoſitum ſilentium his inhumanis inſultatoribus

ob

Digitized by Google

ob victoriam ſecundum illorum exiſtimationem iam adeptam in hac mea cauſa. Sic itaq;, Non dicant *in futurum* in cordibus ſuis *cum lætitia, & arrogantia*; Euge, euge, aïæ noſtræ, *bene, nobis, bene nobis, quia fecimus quod voluimus, mortuus eſt enim in cruce*, nec dicant, Deuorabimus eum, *ſi etiam poſt mortem reſurget ad vitam. Quod ſilentium certe impoſitum erit in hac cauſa per meam reſurrectionem; quia eorum lætitia conuertetur in luctum, & eorum ſpes iterum me perdendi mutetur in deſperationem, quando reſurgam immortalis.*

Erubeſcant, & reuereantur ſimul; qui gratulantur malis meis. Septima pars.

Et quoniam præter eos aduerſarios, qui mihi intulerunt talia tormenta & tanta conuicia, nec non & ipſum mortem crucis, non deſunt & alij peruerſi qui non tantum de meis malis lætantur, ſed etiam gratulantur cum meis hoſtibus, hiſq; gratias agentes ij perfectio tales, qui contra me inſoleſcunt, ex zelo iuſtitiæ pariter puniantur hiſce pœnis in præſenti vita, Erubeſcant *de eorum vana expectatione contra me, cum viderint me non eſſe amplius mortuum*, & reuereantur ſimul, *ac timeant, ne perdant & locum, & gentem, atq; alia mala in futurum.*

Induantur confuſione, & reuerentia; qui maligna loquuntur ſuper me.

In futura vero vita puniantur his pœnis, nempe qui maligna loquũtur ſuper me, *vel contra me; aut mihi detrahendo, aut ſeipſos cõtra me nimis iactando, nempe*, induantur confuſione, *quando erunt immerſi in tantis pœnis, quibus circundati erunt, non aliter quam qui veſtimentis induuntur, ac etiam induantur* reuerentia, *& ignominia, cum alias pœnas & tormenta expectabunt, a quibus ex omni parte inuoluti erunt.*

Exultent, & lætentur qui volunt iuſtitiam meam; & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius.

At in patria cæleſti ornati ſint ſtola animæ, Exultẽt, *& ſtola corporis, &* lætentur *ij nempe*, qui volunt iuſtitiam meam, *& imitantur humilitatẽ meam, qua me omnibus ſubieci in hac mea paſſione*, & dicant ſemper *vna cum alijs* Magnificetur Dominus, *nempe, in nobis, prout nos in ipſo per gratiam in terra, & per glo-*

riam in cælo efficiamur magni; & hoc encomium laudis hi tantummodo pronuntiare habent, qui volunt pacem ſerui eius, *& qui diligunt eam pacem, quam ſeruus eius fecit inter Deum, & homines per ſuam paſſionem, & reſurrectionem.*

Octaua pars.

Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam; tota die laudem tuam.

At lingua *mei cordis, ac meorũ credẽtium* meditabitur iuſtitiam tuam, *prædicando euangelium omnibus gentibus, vt conuertantur, cũ in eo apparat, quod iuſtitię diuinę eſt ſatisfactum pro redemptione humana, id mea morte mirabiliter operante; atq;* tota die *decantabit* laudem tuam *ob meam glorioſam reſurrectionem; Quæ omnia aſſiduè faciam, cum Eccleſia tua per meam mortem ſit a malis liberata, & per meam reſurrectionem ad omnia bona promota.*

Digitized by Google

Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo; non eſt timor Dei ante oculos eius.

Pſalmus XXXV.

IN hoc Pſalmo, qui eſt totus eruditio & doctrina, agitur de iniuſto peccatore, qui ex animi ſui deliberatione peccat; & tunc maxime reprehenſiblis, ac valde improbus conſtituitur, dum neq; amore miſericordiæ & veritatis diuinæ, neq; timore diuinæ iuſtitiæ ſiue iudiciorum eius a peccatis minime deſiſtit. Argumentum.

In eo iſta pertractat Pſalmiſta. 1. Deſcribit iniuſti peccatoris improbitatem, & quo ad Deum, Dixit iniuſtus. *& quo ad proximum,* Verba oris eius. *& quo ad ſeipſum,* Noluit intelligere. Partitio.

2 *Exclamatione admiratur ſingulares Dei perfectiones, quibus abutitur iniuſtus, dum ſciens delinquit ex ſua praua voluntate,* Domine in cælo.

3 *Atteſtatur magnam eſſe miſericordiam diuinam,* Homines, & iumenta, *magnam eſſe veritatem ſeu fidelitatem diuinam,* Filij autem hominum.

4 *Precatur Deum pro miſericordia, & iuſtitia diuina, vt his medijs perueniat ad cæleſtia regna,* Prætende miſericordiam tuam.

Pſalmiſta loquitur vt Præceptor, & doctor, qui ad modum pictoris exacte delineat qualiter iniuſtus peccator offendat Deum, & proximum, atq; ſeipſum; cuius peccatoris grauitatem amplificat, explicans illum contemnere miſericordiam, & veritatē diuinam, quando bona agere recuſat, & pariter paruipendere iuſtitiam, atq; eius iuſta iudicia, dum animo indurato elegit, & proſequitur mala. Perſona.

Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo; non eſt timor Dei ante oculos eius. Prima pars.

Cum peccatorum varia, & diſtincta ſint genera; nempe, vt alij committant peccata ex ignorantia, nonnulli ex infirmitate, ſiue paſſione, adſunt & tertio loco hi, qui culpas perpetrant ex certa malitia & deliberata voluntate; qui cum cæteris ſint longe deteriores, communi vocabulo, tanquam illis proprio notantur, & dicuntur iniuſti, quorum improbitas quanta, & qualis ſit in Deum, in proximum, ac in ſeipſos ſub nomine unius talis iniuſti deſcribitur & ita denotatur. Dixit iniuſtus, vt delinquat in ſemetipſo;

hoc

Digitized by Google

hoc eſt, dixit iniuſtus inſemetipſo, vt delinquat; cum tota iniuſti cogi tatio eo tendat et dirigatur, ut delinquat & peccata committat, nem pe, ex ſua determinata voluntate, nullo eum ad peccata inſtigante, ſiue impellente; is ſtatim hac peccandi deliberatione factus eſt improbus contra Deum, & contra illius iuſtitiam, non eſt timor Dei ante oculos eius, *dum putat Deum non punire peccatores, neq; vindictam ſumere de peccatis; quo iniquo conceptu a ſe inique formato ſine vllo fræno iuſtitiæ vendicatiuæ & punitiuæ prolabitur in quæcunq; ſcelera, atq; enormia flagitia.*

Quoniam doloſe egit in conſpectu eius; vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Contra ſapientiam pariter diuinam iniuſtus factus eſt improbus ſua pec candi deliberatione, quando putat Deum non curare, neq; inquirere iſta inferiora. Quoniam doloſe egit in conſpectu eius, *ſiue diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ in gubernandis, quæ ab eo ſunt crea ta. Vnde cum tollat a Deo & iuſtitiam in peccatores, & curam de his inferioribus, factum eſt*, vt inueniatur iniquitas eius ad odium, *hoc eſt, vt iniquitas ſuorum peccatorum non inueniatur ad veniam, ſed ad odium, & pœnam ſempiternam, cum propriæ ſalutis nulla ratione reſipiſcat.*

Verba oris eius iniquitas & dolus; noluit intelligere, vt bene ageret.

Præterea talis iniuſtus factus eſt improbus in proximum, cum totam cogitationem eo referat, vel aperte lædere proximum conuitijs, & opprobrijs, vel oculte eum decipere prætextu amicitię. Verba oris eius iniquitas, & dolus, *hoc eſt, verba illius ſunt iniquiſſima, & doloſiſſima. Qui equidem eo magis improbus redditur, cum in ſuis peccatis nullam habeat excuſationem, neq; ex parte ignorantiæ, neq; ex parte alicuius paſſionis. Ignorantiam prætendere non valet nam voluntarie ignorauit*, noluit intelligere, *quæ bona ſunt fa cienda, & quæ mala ſunt fugienda*, vt bene ageret, *faciendo bo na & vitando mala; ac ita inuencibilis eſt illius ignorantia.*

Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo; aſtitit omni vitæ non bonę, malitiam autem non odiuit.

Excuſationem prætendere non valet ob aliquam paſſionem, cuius ve hementia ratio ipſa ſit præuenta, atq; ad bonum recte cogitandum impedita. Non equidem talia paſſus eſt; nam primo longa animi

delibe-

Digitized by Google

deliberatione meditatus eſt mala in ſecreto cordis ſui, Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo; *poſt deliberationem præſtitit aſſenſum omni generi peccatorum*; aſtitit omni viæ non bonæ, *& poſt aßenſum, & perpetrationem peccati gauiſus eſt ac delectatus*, malitiam autem non odiuit. *quod eſt ſumma, & confirmatio omnis peccati; nam delectatio ſequitur ſemper habitum, ſiue bonum, ſiue malum.*

Domine in cælo miſericordia tua; & veritas tua vſque ad nubes. Secunda pars.

O mi Domine, cognita hac iniuſti peruerſitate, coactus ſum exclamare; vbi eſt miſericordia tua, qua tam gratioſe ac benigne in tuum ſuſcipis ſinum omnes in te peccantes? quæ equidem tam magna eſt, vt a terra ad cælum pertingat, & facile ab omnibus inſpici poteſt, Domine in cælo miſericordia tua; *attamen iſta a tali iniuſto contemnitur; tanq; res ignota & occulta. Vbi pariter, mi Domine, eſt* veritas tua *& tuarum promiſſionum, quas fideliter pœnitentibus obſeruas, condonans illis eorum peccata, ſi reſipiſcant? Quę equidem & iſta multum alta & ſublimis eſt*, vſque ad nubes, *& hanc etiam deſpicit iſte iniuſtus, qui neq; amore tuæ fidelitatis a peccatis per pœnitentiam ſe liberare attendit, aut intendit.*

Iuſtitia tua ſicut montes Dei; iudicia tua abyſſus multa.

Inſuper, cum is iniuſtus a peccatis ſe non auertit, neq; auocat, vbi eſt Iuſtitia tua, *qua ſeuere punis delinquentes, quæ & ipſa ſublimis eſt* ſicut montes Dei, *& ſicut montes pergrandes, & ingentis molis: hac attamen abutitur etiam iniuſtus, cum peccata non relinquit ſaltem formidine pœnarum atq; ſuppliciorum, quæ ſunt præparata illius peccatis. Et ſicuti tua iuſtitia contra peccatores eſt ſublimis, ita & profunda ſunt* iudicia tua *quibus horum es miſericors, & aliorum es excæcator; & ſunt equidem* abyſſus multa, *cum ſint impenetrabilia, & imperſcrutabilia nobis. Quorum iudiciorum, quæ ita tremenda ſunt, aliquis timor non apparet in iſto iniuſto, neq; ab eo debita humilitate venerantur, vti ab omnibus venerari, & timeri debent.*

Homines, & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Tertia pars.

Et reipſa atteſtor miſericordiam tuam eſſe magnam, & vſq; ad cælos pertingere; ſic etenim, Homines, & iumenta ſaluabis Domine,

ne *quando conſeruas, nutris, bonisq; temporalibus reples non ſolum homines creaturas rationales ſed etiam et brutales, ac iumenta ipſa, ſiue eos homines, qui inſtar iumentorum ſolo ſenſu & appetitu ducũtur. Et cum benignitas tua ſit tam maxima, incomprehenſibilisq; & admirabilis; & ego pariter admiratione cogor exclamare* O Deus, quemdmodum multiplicaſti miſericordiam tuam. *cum iuſtiſſime impios & prauos perdere poſſis, ad nihilumq; redigere, at tu eodemmet tempore quo tua mandata tranſgrediunt, eos ſuſtentas, portas, & alis, & vt breuiter dicam; tu tua miſericordia oriri facis ſolem ſuper iniuſtos & impœnitentes.*

Filij autem hominum; in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

Idq; & de tua promiſſorum fidelitate, ſeu veritate eſt aſſerendum, nempe, & illam vsq; ad nubes eſſe altam. Nam filij hominum *proprijs viribus deſtituti, vt agnoſcere & operari valeant, quæ ſunt neceſſaria pro adeptione æternæ fœlicitatis, hi* ſperabunt in tegmine alarum tuarum. *nempe in ſcripturis noui, & antiqui teſtamenti; in quibus explicantur, & futura prĕmia promiſſa, & media ad ea faciliter aſſequenda.*

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quæ æternæ patriĕ præmia cum conſiſtant, & in vberi abundantia bonorum, & in copioſa voluptate illorum bonorum; inde erit quod filij hominum in cœleſti patria ita bonis erunt repleti, vt prĕter illa bona, alia bona neq; poterunt deſiderare, non aliter quam hi, qui vino inebriantur, qui tunc non amplius ſitiunt neq; petunt vinum. Inebriabũtur ab vbertate domus tuĕ. *Atq; ob ſummas eorum bonorum delitias & voluptates* & torrente voluptatis tuæ potabis eos, *quippecum ea voluptas erit vt torrens innudans, repentinus, ac rapidus; erit innundans, quia ibi aderit multitudo omnis ſapientiæ; & ſcientiæ, erit repĕtina, quia clare viſo Dño, ſtatĩ affluemus omni notitia & craturarum, & creatoris; erit rapida, quia abundantia ſapientiĕ, & ſcientiĕ diuinæ rapietur eorum animus magno impetu ad amorem & fruitionem ſummi boni, in quo erunt omnia bona.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.

Neq; mirum eſt, ſi tantis bonis repleti erunt iuſti in cœleſti regno; Quoniam apud te eſt fons vitæ, *cum tu ſis origo indeficiens omnium bonorum, quibus ſatiantur ſancti in patria. Neq; mirum eſt ſi ſumma delectatione iucundabimus*, & in lumine tuo videbimus lumen; *cum in lumine diuinæ gloriæ eleuati, & confortati videbimus lumen tuæ Diuinæ eſſentiæ, quæ aperta viſio eſt ſumma oblectatio omnium delectionum, ac omnium delitiarum.*

Prætende Domine miſericordiam tuam ſcientibus te; & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde. Quarta. pars

Ad quæ æterna bona poſſidenda cum nemo peruenire valeat, niſi mediante tua diuina gratia, & meritis bonorum operum; precor te, Domine, Prætende, *longe lateq; diffunde* miſericordiam tuam *& gratiam tuam* ſcientibus te, *qui te noſcunt & confitentur per veram fidem, quæ eſt fundamentum ſalutis; necnon dona etiam* iuſtitiam, *quia dirigis homines in opera bona, & dona eam his* qui recto ſunt corde, *& qui tuis obediunt mandatis, quorum directione homines erga te fiunt recti corde, & voluntate, non declinantes in eorum operibus neq; ad dexteram neq; ad ſiniſtram vitiorum.*

Non veniat mihi pes ſuperbiæ; & manus peccatoris non moueat me.

Quæ tamen opera præter id, quod ſint iuxta præcepta tuæ legis, neceſſe eſt, vt veſtiantur & humilitate, & perſeuerantia: his etenim virtutibus efficiuntur meritoria, & digna æterna retributione. Inde, te precor, Ne veniat mihi pes ſuperbiæ, *vt in his operibus gloriam meam appetam, ſed ſemper coniuncta ſint cum vera humilitate, vt ea a te Domine, tantummodo agnoſcam, & ad te ſolum referã, Amplius*, & manus peccatoris nõ moueat me, *ſed fac, vt in illis perſeuerem vſq; in finem, cum ſine perſeuerãtiæ dono nullum opus a te coronatur in nobis.*

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.

Et maxime cauendus eſt pes ſuperbiæ, cum ob ea ſumpſit initium omnis perditio in angelis; ſic etenim verum eſt, nam, Ibi *in vitium ſuperbiæ* ceciderunt, qui operantur iniquitatem, *ſiue iniqua*

& pro tanto peccato ſuperbiæ, quod fuit auerſio ab ipſo Deo, dignas luere pœnas ; cum priuati fuerint fœlicitate obtenta diuinæ gratia expulſi ſunt, *& fœlicitate obtinenda in confirmatione eiuſdem diuinæ gratiæ,* nec potuerunt ſtare.

Digitized by Google

Noli æmulari in malignantibus; neque zelaueris facientes iniquitatem.

Pſalmus XXXVI.

In hoc Pſalmo, qui totus eſt doctrina & eruditio, agitur præcipue de impiorum proſperitate in hac vita, quæ nulla ratione aut eſt inuidenda, aut imitanda, neq; quiſquã iraſci debet aut commoueri contra Diuinam prouidentiam ob hanc proſperitatem peccatorum, cum ex oppoſito iuſtorum ſtatus tanquam longe præſtantior, ſolummodo eſt appetendus, atq; omnibus proſequendus. Argum.

In eo iſta pertractat Pſalmiſta. 1. Abſolute reijcit malorum proſperitatem. Noli æmulari. Partitio.

2 *Explicat iuſtorum proſperitatem, & in quibus rebus conſiſtat.* Spera in Domino.

3 *Confutat eandem malorum proſperitatem per comparationem ad ſtatum iuſtorum, quia malorum proſperitas. 1. Eſt culpabilis.* Noli æmulari in eo. *2. Eſt damnabilis.* Quoniam qui malignatur. *3 Quia non eſt durabilis.* Et adhuc puſillum. *4. Eſt afflictibilis.* Oſeruabit peccator iuſtum. *5. Quia eſt inſufficiens.* Melius eſt modicum iuſto. *6. Quia eſt variabilis.* Inimici vero Domini.

4 *Exponit, quæ ſunt ſtudia hominis iuſti, & in ſeipſum.* Apud Dominum, *& in proximum.* Tota die miſeretur.

5 *Docet quæ præcepta cuſtodire debet is, qui deſiderat fieri iuſtus.* Declina a malo *qui deſiderat ſe conſeruare iuſtum.* Expecta Dominum, *& qui deſiderat frui fructu ſuæ iuſtitiæ* Cuſtodi innocentiam.

6 *Epilogo collegit multa beneficia quæ a Domino conſequuti ſunt iuſti, pro ingreſſu in gratiam Dei,* Salus autem iuſtorum *pro conſeruatione in eius gratia,* & protector eorum. *& pro tranſitione a gratia ad gloriam,* & ſaluabit eos. Perſona.

Pſalmiſta doctoris officium exercens agit de diuerſo ſtatu bonorum, & malorum pro vita præſenti, & futura. Qua inſtructione diuerſitatis erudiuntur & boni, & mali. Boni, vt a bono nõ recedant, neq; ad malam inclinent proſperitatem malorum, quæ diuerſis conditionibus vt mala non eſt appetẽda, vt patet ex diſcurſu Pſalmi. Mali pariter erudiuntur, vt a malo declinent, & faciant bonũ, ob proſperitatẽ bonorũ, quæ diuerſis fundamentis tanq; perfecte bona eſt deſideranda

da, & proſequenda, vt legitur in Pſalmo. His additur, quæ ſunt actiones veri iuſti, & in ſeipſo & erga proximum, quæq; bona opera efficienda ſunt ab eo, qui cupit tum fieri iuſtus, tum conſeruari iuſtus, tum frui fructu iuſtitiæ. Quos iuſtos quantum diligat Dominus breuiter colligit in fine Pſalmi.

Prima pars.

Noli æmulari in malignantibus; neque zelaueris facientes iniquitatem.

Cum quotidiana experientia in rebus humanis appareat huiuſmodi diuerſitas ſtatus, vt qui iniqua agunt temporalibus floreant bonis, & abundent, at qui ſunt innocentes & iuſti ſæpe ac ſæpius diuerſas ſuſtinent, & corporum afflictiones, & varias rerum mutationes; quæ diuerſitate factum eſt, vt non tantum innocentes conturbent ſe ipſos, & indignantur de tanta malorum proſperitate, ſed etiam eis inuident, eam & ipſi non fruantur eisdem bonis; ſed quod deterius eſt, proſpera peccatorum fortuna quandoq; commoti recedentes a bono, declinant & ipſi in malum, & efficiuntur maligni, vti ſunt illi, qui ſemper floruere, quaſi Deus ſua prouidentia curam de his actibus humanis non haberet. Quæ opinio tanquam vana, & pænitus falſa omnino euellenda, & radicitus extirpanda a mente fidelium. Ideo cohortatione negatiua præcipitur ſingulis innocentibus, ac ſimplicibus ſub perſona vnius viri, Noli ęmulari in malignantibus, *noli te ipſum animo cruciare, nolite mente affligere in conſideratione malignantium, qui cũ peccatum diligant, in eoq́; delectentur, eodẽ etiam tempore rerum omnium proſperitate florent in mundo ſuper cæteros homines. Sed vlterius,* neque zelaueris facientes iniquitatem, *noli pariter his inuidere, ita vt tu numeratus euadas inter illos, qui nil bona faciunt, ſed diuerſa mala perpetrant, ad quæ extenditur eorum iniquitas.*

Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent; & quemmadmodum olera herbarum cito decident.

Et efficaci ratione hoc tibi ſuadeo, vt neq; te conturbes, neq́; illis inuideas, quia horum proſperitas eſt modica, & pauca in ſubſtantia bonitatis & perfectionis; non aliter quam fœnum, & olus, quæ cum in terra parum radicentur & modicum attrahant de humore humiditatem nutriente & conſeruante, inde cito deſſicantur & deficiunt; non aliter & malignantes diſſicantur, quorum appetitus cum eradicetur in bonis temporalibus, quæ modicum habent de bonitate, cum eorum bonitas proprie bonum non faciat habentem neq; illius opera,

ra, ita cito tranſit, & penitus deficit illorum appetitus in huiuſmodi bonis.

Spera in Domino, & fac bonitatem; & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Secunda pars.

Sed tu innocens, qui es ſimplex, & idiota, ad alia applica animum tuum, & intende ad veram iuſtorum fælicitatem, & proſperitatem. Quæ dum primo conſideratur ut ſtat in ſatietate bonorum, ita ut quis alia bona non ſitiat amplius. Tu Spera in Domino, & fac bonitatem; *fige tuum appetitum in Domino, qui eſt ſummum bonũ, & bona opera fac; vtrumq; coniunge, quia ſpes in Domino ſine bonis operibus non eſt ſpes, sed preſumptio. Et dum iſta operatus eris, ſcis profecto, quod veram proſperitatem obtinebis, quæ ſtat in ſatietate bonorum,* inhabita terram *ſiue inhabitabis,* & paſceris in diuitijs eius. *dum in eccleſia militante paſceris diuitijs ſpiritualibus gratiæ & meritorum, & in eccleſia triumphante paſceris æternis diuitijs gloriæ & præmiorum.*

Delectare in Domino; & dabit tibi petitiones cordis tui.

Præterea, ſi iuſtorum proſperitas conſideretur, ut ſtat in impetratione bonorum, & obtinere faciat quæ deſiderantur bona, Tu Delectare in Domino, *hoc eſt, ſpreta mundi voluptate delectare in Domino per cognitionẽ & amorem, et tũc eris beatus,* & dabit tibi petitiones cordis tui, *quæ erũt bona gratiæ, & gloriæ, q̃ nulli denegantur, cum ſint ex ſui natura abſolute bona, & cum perſeuerantiæ dono petita, ſine vlla dubitatione adipiſcuntur.*

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet.

Inſuper, ſi iuſtorum proſperitas attenditur, vt ſtat in robore & fortitudine faciendi, quæ illi volunt facere, tu Reuela Domino viam tuam, *hoc eſt, bonam fac viam tuam, ſiue recte & virtuoſe viue; idq; declara,* & ſpera in Domino, *ita meritorie operans;* & tunc ipſe faciet, *ſiue perficiet, quæ tu intendis facere, ac ita non fruſtraberis tua voluntate, cum talia opera erunt digna æterna gloria.*

Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem; ſubditus eſto Domino, & ora eum.

Ad hæc, ſi iuſtorum proſperitas conſideratur, vt ſtat in manifeſtatione, & gloria occultæ bonitatis, ſcies profecto, quod ſolus Dominus eſt

Digitized by Google

is, qui in publicum proferet tuas virtutes; & quas habes in habitu, Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, *quæ eſt habitus tuæ rectæ vitæ; & quas habes in operatione,* & iudicium tuum tam quam meridiem, *quod eſt operatio tuæ rectæ vitæ. Atq; pro con cluſione prædictorum, hęc tibi ſit certa & firma regula; bona ſemper age, & bona ſemper roga. bona age,* ſubditus eſto Domino, *per humilitatem, & patientiam perferendo quicquid immiſerit, & ſine vlla murmuratione ei acquieſcere. bona roga,* & ora eum. *Sicq; pro habenda vera proſperitate iſta duo coniunge, bona age, & bona roga; ſed præmitte bona age, & tua uota ſemper conſequeris a Deo, vel ad votum, vel ad utilitatem.*

Tertia pars

Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua; in homine fa ciente iniuſtitias.

Sed preter primam imperfectionem proſperitatis malorum, quę deficit in ſubſtantia bonitatis, alijs etiam conditionibus eſt valde imperfecta, & præcipue cum ſit culpabilis & criminoſa. Qua habita notitia; Noli ęmulari in eo, qui proſperatur in via ſua; *nempe noli inuidere ei, qui excluſa a ſeipſo via legis diuinę, & ſemita rectæ rationis obtinet quod intendit in his bonis, & commodis temporalibus, prout ducitur ab uario impetu paſſionum; & eo magis noli huic tali inuidere, cum huiuſmodproſperitas cum peccato ſit coniuncta,* in homine faciente iniuſtitias, *mala operando, & bona ipſa dimittendo.*

Deſine ab ira, & derelinque furorem; noli æmulari, vt maligneris.

Neque tantummodo noli proſperati horum inuidere, ſed deuita, ut ne te ipſum indigneris, dum mali exaltantur, Deſine ab ira, *neq; furore in te ipſo commoueearis uiſa malorum proſperitate,* & derelinque furorem, *ut ne contra Deum, & eius prouidentiam horum cauſa murmures. Sed ulterius tibi prohibetur, & imitatio, & horũ ſequela, quod deterius eſt,* noli ęmulari *ſiue eos imitari, aut inter eos immiſceri,* vt maligneris, *ne efficiaris & ipſe malignus, a bono ipſo declinando, & inclinando ad malum.*

Quoniam qui malignãtur, exterminabuntur; ſuſtinentes au tem Dominum, ipſi hęreditabunt terram.

Et nõ deeſt efficaſſima rõ, ut nõ imiteris et ſequaris huiuſmodi malos, quia eorum proſperitas eſt damnabilis, et ipſi pariter damnabũtur a

iuſti-

Digitized by Google

iuſtitia diuina. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; *nempe. quia fine carebunt proprio humanæ naturæ, dum exulabunt ab æterna beatitudine, quæ eſt finis, ad quem factus eſt homo. Quod econtrario de iuſtis eſt aſſerendum,* ſuſtinentes autem Dominum, *& ſuper omnia illum amantes tam in proſperis quam in aduerſis,* ipſi hæreditabunt terram, *nempe uiuentium, cum huiuſmodi ſint veri filij Dei per adoptionem.*

Et adhuc puſillum, & non erit peccator; & quæres locum eius, & non inuenies.

Non deeſt etiam & tertia ratio principalis, vt non imiteris malignos, quia illorum proſperitas non eſt durabilis, ſed breuis, & ruinoſa in nihilum. Et adhuc *reſtat puſillum temporis,* & non erit peccator, *quem vis ſi qui,* & quæres locum eius, *& illius proſperitatem,* & non inuenies, *quia frequenter pro ſuis malitijs, & flagitijs non ſolum deſtituuntur ipſi, & ammittunt vitam, ſed etiam loca eorum, & poſteritas tota anihilatur.*

Manſueti autem hęreditabunt terram; & delectabuntur in multitudine pacis.

At bonorum proſperitas eſt ſtabilis, quia Manſueti *æquanimiter mũdi aduerſa tolerantes* hęreditabunt *cæleſtem* terram, & delectabuntur in multitudine pacis, *cum fruentur multa pace cum Deo, cum proximis & in ſeipſis, atq; omni fœlicitatis genere pleni erunt.*

Obſeruabit peccator iuſtum; & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

Quarta ratione & principali noli æmulari vt maligneris, quoniam malorum proſperitas habet malum pœnæ annexum, dum iniuſtus cruciatur aut inuidia, aut odio ſiue dolo erga ipſum iuſtum. Ecce inuidia, Obſeruabit peccator iuſtum; *maligna nempe mente inſpiciet, vt ei inſidias tendat ecce odium,* & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis, *quando videbit illius ammirandam patientiam in tot aduerſis, atq; eiuſdem modeſtiam & cæteras virtutes in ipſis proſperis. Tunc vitijs detractionis, ſuſurrationis & malidicentiæ, quæ ſunt dentes peccatorum, ſtridebit contra iuſtum.*

Domi-

Digitized by Google

Dominus autem irridebit; quoniam proſpicit, quod veniet dies eius.

Sed Dominus, qui ſtat pro preſidio iuſti, irridebit eum *irritos faciēs illius conatus, et ſtudia*, quoniam proſpicit *a longe, quod* veniet *poſt puſillum temporis* dies eius, *nempe dies perditionis, ſiue dies vltionis & iræ contra eum, ob iniquitates quas exercet in ipſum iuſtum.*

Gladium euaginauerunt peccatores; intenderunt arcum ſuum.

Sed præter liuorem inuidiæ & odij, ecce etiam aperta, & occulta malorum perſequutio in bonos. aperta, Gladium euaginauerunt peccatores, *vt de prope ferirent ſanctos; occulta.* intenderunt arcum ſuum, *eos occulte inſidiando, vel a longe offendendo, ne ab illis viderentur.*

Vt deijciant pauperem, & inopem; vt trucident rectos corde,

Quorum perſequutio eo grauior redditur, cum ex mala voluntate proueniat & contra innocentem, vt dolis decipiant pauperem, *qui ſibi non ſufficit,* & inopem, *qui nec opem aliquam habet ab alio, vt* trucident, *atq; aperte interficiant* rectos corde, *nempe, vita moribus, ac viuendi ratione.*

Gladius eorum intret in corda ipſorum; & arcus eorum confringatur.

Sed vtraq; perſequutio malorum in iuſtos vana eſt, immo contra illos conuertitur, & quo ad corpus in preſenti, & quo ad animam in futuro; Gladius eorum intret in corda ipſorum *vt eadem morte moriantur, quam alijs ipſi ex odio parauere;* & arcus eorum confringatur, *cum, ſcilicet, inuidiæ, & doloſitates malorum contra bonos fruſtrantur, vt illis non noceant, ſed magis proficiant, atq; ipſorum merita augeant apud Dominum.*

Melius eſt modicum iuſto; ſuper diuitias peccatorum multas.

Iterum reuerto ad præceptum traditum, noli ęmulari vt maligneris, quod facere debes cum malorum proſperitas ex ſe ſit inſufficiens, & bonorum eſt ſufficiens, quod erit pro quinta principali ratione. Bonorum etenim proſperitas qualiſcunq; ſit, ex ſe etenim eſt ſufficiens;

quia

quia magis ſufficiens eſt quodlibet modicum, *ſiue bonum temporale* ipſi iuſto, *qui ad bona tendit ſpiritualia; quam ſufficiens ſit diuitiarum, & bonorum copia ipſis peccatoribus, qui in diuitijs non habent ſufficientiam, ſed indigentiam cum eis abutantur, aut prodigalitate, aut auaritia, quibus extremis longe ſeparantur a medio & a virtute liberalitatis.*

Quoniam brachia peccatorum conterentur; confirmat autem iuſtos Dominus.

Præterea, neq; tantum peccatoribus eorum proſperitas eſt inſufficiens, ſed etiam facile confringitur, dum dignitatum aut diuitiarum cauſa ſuſtinent diuerſa infortunia, vel ſaltem in eorum morte ad nihilum rediguntur, ita veritati eſt conſonum; Quoniam brachia peccatorum, *quæ aliud non ſunt quam poteſtates, & robores corporis, quibus impij multum præſumunt, aut diuitiæ, in quibus maxime confidunt*, conterentur; *at de iuſtis* confirmat autem iuſtos Dominus, *ne a bono virtutis amoueantur, aut in aduerſis per impatientiam, aut in proſperis per elationem.*

Nouit Dominus dies immaculatorum; & hæreditas eorum in æternum erit.

Confirmat autem iuſtos Dominus, tum in præſenti, tum in futuro; in præſenti, quia nouit *& approbauit* dies immaculatorum, *& ſuæ vitæ curſus, quali namq; fuerint conuerſatione, & quali optima vita inter homines; in futuro vero* & hæreditas eorum in æternum erit, *quia, cum ſint ſine vlla macula, in æternum durabunt.*

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur; quia peccatores peribunt.

Sexto & vltimo, cogita egregie eſſe dictum, noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, & præcipue in homine faciente iniuſtitias, quia horum ſtatus in futuro eſt penitus deſtinctus a ſtatu iuſtorum, qui nõ erubeſcent in examinatione ſuæ cauſæ Non confundentur in tẽpore malo, *quia eſuriui, & dediſti mihi manducare; neq; contra illos erit ſententia damnationis.* & in diebus famis ſaturabuntur *quia audientes ſententiam venite benedicti omnibus bonis repleti erunt ſumma abundantia. Quæ duo de peccatoribus non ſunt aſſerenda,* quia peccatores peribunt, *& quo ad examinationem ſuæ cauſæ, & quo ad prolationem ſententiæ. Eſuriui, & non dediſti mihi manducare, ac inde ite maledicti.*

Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati; deficientes quemadmodum fumus deficient.

Et peribunt equidem peccatores, qui ſunt inimici Domini, quando ab vno extremo in alterum tranſibunt extremum, nempe ab exaltatione in hac vita ad nihilũ gloriæ in altera vita. Et ecce illorũ exaltatio, atq; eorum depreſſio. Inimici vero Domini mox vt honorificati fuerint *gloria & reuerentia*, & exaltati, *dignitatibus potentia ac nobilitate in vita preſenti*, deficientes *quotidie de malo in peius, ac tandem* quemadmodũ fumus *cuius nullum tãdem inuenitur veſtigium*, deficient *cum omni gloria potẽtatus, nobilitatis, & magnæ opulentiæ eorum.*

Mutuabitur peccator, & non ſoluet; iuſtus autem miſeretur, & retribuet.

Et tantæ gloriæ anhilatio iuſta de cauſa contingit inimicis Domini, quia Mutuabitur peccator, & non ſoluet, *& dum audit verbum Dei, at illud operibus ſuis non adimplet tamq; rebellis et inobediens, & dũ diuerſa ſuſcipit Dei beneficia et ñæ & gr̃e, atq; non ſoluit tanque de illis ingratus Deo;* iuſtus autem miſeretur, *& compatietur, his, qui non agunt debitas gratias de beneficijs acceptis;* & retribuet *ob accepta beneficia a Domino proximis eleemoſynas, ſi rerum facultatem habet, & ſi non habet, dabit ſaltem beneuolentiã, & orabit pro illis apud Deum.*

Quia benedicentes ei hęreditabunt terram; maledicentes autem ei diſperibunt.

Atq; libenter iuſtus miſeretur & retribuet, cum illi ſit notum; Quia benedicentes ei, *& Domino, aut lingua gratias agendo pro beneficijs acceptis, aut opere diuina obſeruando pręcepta, atq; alijs impendendo intuitu Dei quæ bona pauca habet,* hæreditabunt terram *viuentium, et eam perpetuo poſſidebunt; ſicuti ex oppoſito* maledicentes *ei, uel ingratitudine, vel prauitate, aut auaritia* diſperibũt *nempe a promiſſa iuſtorum beatitudine in æternã perditionem.*

Quarta. pars

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur; & viam eius volet.

At dimiſſis alternis conſiderationibus inter bonos, & malos; & de iuſtis tantum agens, ante omnia de iuſto viro eſt aſſerendum, quod iuſtus duo reſpicit & debitum finem, & media ad illum finem conſequendum, ecce illius voluntas ad finem, Apud Dominum, *ſiue*

ad

Digitized by Google

ad Dominum greſſus hominis *iuſti* dirigentur, *cum in Deum tendat tanquam in ſuum finem & ſummum obiectum ſuæ beatitudinis; ecce illius electio pro medijs*, & viam eius volet, *quæ ſtat in ſolicita cuſtodia, et diligenti obſeruatione diuinæ legis; Quia ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus ſupponit manum ſuam.

At quoniam in iuſtis, dum degunt inter mortales, nondum caro ipſa eſt perfecte ſanata, vt omnes eius motus rationis imperio regulari poſſint, cum ceciderit *in peccata ex humana carnis fragilitate*, non collidetur, *aut frangetur, gratiam Dei irrecuperabiliter perdendo*, quia Dominus ſupponit manum ſuam, *per viam pœnitentiæ ſtatim reducendo illum ad gratiam.*

Iunior fui, etenim ſenui; & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

Et quod de iuſto dictum eſt, quod a Domino ſua gratia non deſeritur, ita veritati conſonum eſt, vt ego longa experientia agnovi, Iunior fui, etenim ſenui; & non vidi iuſtum derelictum, *nempe a Deo, ita vt finialiter periret, nec illius imitatores in operibus iuſtis finaliter peribunt*, nec ſemen eius quærens panem, *ita vt pane ſpirituali & verbo Dei factus egenus, deficeret in via ad vitam æternã; id equidem nunquam perſpexi.*

Tota die miſeretur, & commodat; & ſemen illius in benedictione erit.

Neque tantum de ſeipſo ſollicitus eſt iuſtus, ſed erga proximos ſuos in operibus miſericordiæ eſt bene diſpoſitus, & quo ad interiorem affectum Tota die miſeretur, *& quo ad exteriorem effectum*, & commodat, *agnoſcẽs quod alijs diſpenſat ſibi reddi cum magno fænore*, & ſemen illius, *quod ſeminat ſiue ſpiritualiter, ſiue corporaliter*, in benedictione erit, *nempe, illi in vitam ęternam.*

Declina à malo, & fac bonum; & inhabita in ſæculum ſæculi. Quinta pars.

At tu quicunq; es, qui inter iuſtos connumerari deſideras, hanc primo apprehende regulam ad ingreſſum iuſtitiæ & diuinæ gratiæ. Declina à malo *obſeruando pręcepta negatiua legis, vt Deum aut proximum, aut teipſum non offendas neq; opere, neq; ore, neq; corde.* & fac bonum *obſeruando pariter alia pręcepta affirmatiua eiusdẽ*

legis, vt ſis recte ordinatus in Deum, in proximum, & in te ipſum. Vtrumq; tibi eſt neceſſarium, nam dum declinas a malo, teipſum diſponis, vt ſis bonus; at quando facis bonum, tunc perfecte efficeris bonus. Quę mea regula tibi ſedulo eſt obſeruanda, nam ſtat ad illius fauorem talis promiſſio & inhabita in ſæculum ſæculi, *quod ali quo modo verum eſt in hac vita & eccleſia militante, ac perfecte & abſolute locum habebit in futura vita, & eccleſia triumphante.*

Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos; in æternum conſeruabuntur.

Neque dubitandũ eſt de hac promiſſione, tum ex conditione naturę diui næ, Quia Dominus amat iudicium, *& æquitatem, cum ipſe ſit auctor iuſtitiæ, tum ex ipſa operatione diuina,* & non derelinquet ſanctos ſuos, *qui eius pręcepta eligunt adimplere, cum ab eo* in æternum conſeruabuntur, *& corpore, & anima, atq; omnis miſeria, & omnis culpa longe erit ab illis.*

Iniuſti punientur; & ſemen impiorum peribit.

Tibiq́, confirmo effectibns diuinis Deum amare iudicium, dum punit, & dum pręmiat; punit æternis pœnis, qui ſunt puniendi, Iniuſti punientur *& eorum imitatores,* & ſemen impiorum peribit.

Iuſti autem hæreditabunt terram; & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.

Præmiat vero æternus bonis qui ſunt præmiandi, Iuſti autem hęreditabunt terram, *& permanebunt in cælo, quod non incongrue dr terra ob ſubſtantiæ firmitatem, & ſtabilitatem,* & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam, *cum pariter in cælo verſabuntur fæliciter, & æternaliter circumamicti omni dignitate, & benedictione cæleſti.*

Os iuſti meditabitur ſapientiam; & lingua eius loquetur iudicium.

Et regulam tibi a me traditam ne vnquam prætermittas, ſit tibi in exemplum ipſe iuſtus, qui dum declinat a malo & facit bonum, abeo progrediuntur hę pręclaræ operationes, & quo ad ſeipſum, & quo ad proximum. In ſui ipſius vtilitatem Os iuſti meditabitur ſapientiam, *mente contemplans legem, qua prohibetur malum, & præcipitur bonum vt a Deo emanatam tanq; illius ſapiens, & ſingularis legislator. In vtilitatem vero proximi,* & lingua eius loque-

quetur iudicium, *dum alios inſtruit in his quæ ſunt vitanda, & quæ ſunt amplectenda ab hominibus, vt pariter & ipſi efficiantur iuſti.*

Lex Dei eius in corde ipſius; & non ſupplantabuntur greſſus eius.

Amplius iuſtus de ſua ſalute multum ſollicitus nunq; prętermittit diuinę legis obſeruantiam, Sed lex Dei eius in corde ipſius, *quia iugiter in ea meditatur, & perſeueranter eam cogitat, ac ſecundum illius regulam dirigit operationes ſuas. Qua lege munitus etiam certus eſt, quod a diabolo vel a vitijs* non ſupplantabuntur greſſus eius *quibus ad Deũ nititur peruenire, quia, diuina lex & regulat homines in viam ad Deum, ac etiam tollit omnia impedimenta, quibus ea via ab inimicis impeditur. Nam rectum eſt iudex ſui, & obliqui.*

Conſiderat peccator iuſtum; & quęrit mortificare eum.

Quod in hac vita ſuſtineat graues ab aduerſario ictus; nulli dubium eſt, Nam peccator *calida aſtutia,* conſiderat iuſtum, *vt illum decipiat, ſed etiam inuidia motus* quærit mortificare eum, *vt opportune ad malum ſibi aſſenſum præbeat.*

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

Quæ mali viri conſideratio contra iuſtum penitus uana eſt, Dominus autem non derelinquet eum *in manibus eius, ut illi conſentiat in malis operibus, & ea faciet, quę & ille facit,* nec damnabit eum, cum iudicabitur illi. *hoc eſt, neq; iuſtum damnabit Dominus in futuro iudicio, cum iudicabitur, ſed ſententia illi dabitur pro eo.*

Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram; cum perierint peccatores, videbis.

Adeſt & ſecunda regula ſiue adhortatio pro tua ſalute, ut facile te conſerues in iuſtitia dum curſum agis in hac uita inter tot mala & culpę & pœnę. Ne autem cadas ab incepta iuſtitia, ſis ornatus uirtute ſpei, & uirtute perſeuerantię. Spera in Domino Expecta Dominum, *in hac mortali uita, qui fidelis & uerax eſt promiſſionibus, cum eas ſemper adimpleat; Perſeuera in bono,* & cuſtodi viam

ac le-

ac legem eius,*ut non declines a uia iam inchoata ſanctitatis & iuſtitiæ. Iſtasq; uirtutes prompto animo ſuſcipe, & ſecundum illas exequere, quia pro certo Dominus* exaltabit te,*quia in eo ſperaſti,* vt hæreditate capias terram *cæleſtem,quia perſeueraſti in uia eius; iſtaq; firmiter crede & tene, quia* cum perierint peccatores, videbis. *hoc eſt, cum peccatores iudicio diuino condemnati fuerint, tunc re ipſa uidebis quod modo mente ſperas, & in bono perſeueras.*

Vidi impium ſuperexaltatum; & eleuatum ſicut cedros Lybani.

Neque tantummodo in futuro iudicio videbis omnes peccatores puniri, quod eſt ineuitabile, ſed ego tibi experientia atteſtor, quod etiam in præſenti uita manifeſta eſt peccatorum ruina & damnatio. Nam ego Vidi impium ſuperexaltatum *in altiſſimo gradu dignitatis & poteſtatis,* & eleuatum ſicut cedros Lybani, *& radicatum ſiue fundatum opibus, familijs, ſeruitutibus, & obſequijs, ut uideretur illius fœlicitas inextinguibilis ac æterna.*

Et tranſiui, & ecce non erat; & quęſiui eum,& non eſt inuẽtus locus eius.

Attamen tranſiui *per aliquod tempus expectans*, & ecce non erat *qui ſic intumuerat*, quæſiui eum *in gloria ſua uana*, & non inuentus eſt locus eius, *neque aliquis ſplendor propriæ dignitatis ſiue ſuperbiæ, aut proſperitatis eius.*

Cuſtodi innocentiam, & vide ęquitatem; quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.

Adeſt & tertia regula ſiue adhortatio pro tua ſalute, ut facile tranſire ualeas a præſentis uitæ incommodis ad gaudia æterna; idq; non ęgre tibi erit per duas uirtutes,nempe, per innocentiam, & æquitatem. Cuſtodi innocentiam,*ut te ipſum a peccatis mundum conſerues apud Deum,*& vide ęquitatem,*ut iuſte cum proximo agas. Nec non & libenti animo iſta bona opera fac*, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. *quę remanent poſt mortem in eius pręmium; & iuremerito nam qui fuit ornatus pace interiori per innocentiam, & pace exteriori per ęquitatem, fruetur bonis ęternę uitę in cælo.*

Iniu-

Digitized by Google

Iniuſti autem diſperibunt ſimul; reliquiæ impiorum interibunt.

At iniuſti *cum ſuis operibus* diſperibunt *atq; æterna damnatione dilabuntur, ſed &* ſimul *ſiue cum eis* reliquiæ impiorum interibunt, *quia poſt mortem falſa eorum laus, ac fragilis eorum gloria diſſoluetur.*

Salus autem iuſtorum à Domino; & protector eorum in tẽpore tribulationis. Sexta pars.

At pro epilogo huius Pſalmi non eſt prætermittendum, quibus gratijs & fauoribus ſingulariter proſequatur Dominus ipſos iuſtos. Quos ut primũ introducat in ſtatum diuinæ gratiæ cõſtituitur Dominus eorum ſalus, quæ eſt ipſa remiſſio peccatorum, quæ a ſolo Domino eſt, & non aliunde. Salus autem iuſtorum à Domino. *Et ne cadant ab eius gratia in uita præſenti* & protector eorum eſt in tẽpore tribulationis *quia in mortali uita regnant mala & culpæ, et pœnæ, quibus grauiter affliguntur homines & anima & corpore.*

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos; & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo.

Et ne cadant a diuina gratia protegit, & fac, vt bona agant, Et adiuuabit eos Dominus, *cum illis namq; ſemper adeſt cooperatio diuina; atq; vt mala euitent,* & liberabit eos *ab omni obiecto mali, ſed etiam vt effugiant peccatores,* & eruet eos à peccatoribus *ne illorum tentationibus aſſentiant, & in malum cadant. Sed vltimo poſt introductionem in gratiã, & conſeruationem in ipſa gratia, eos transferet a ſtatu gratiæ ad fælicitatem, & beatitudinem æternæ gloriæ,* & ſaluabit eos *cum tanti boni cauſa meritoria fuit ſpes iuſtorum vna cũ fide & charitate in Deum.* quia ſperauerunt in eo; *Sic etenim expectatio futuræ gloriæ prouenit a gratia diuina, & a meritis hominum, quæ in nobis ſua benignitate coronat ipſe Dominus.*

Digitized by Google

Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Pſalmus XXXVII.

Argumẽtum. *IN hoc Pſalmo, qui locum habet inter Pſalmos Pœnitentiales, agitur de graui afflictione peccatoris pœnitentis, qui Deum ad miſericordiã flectit ob multas & diuerſas pœnas, quas ſuſtinet ſuorum cauſa peccatorum.*

Partitio. *In eo iſta pertractat Pſalmiſta.* 1. *Præmittit deuotam pœnitentis petitionem de ſuis peccatis grauiter afflicti.* Domine ne in furore tuo.

2 *Flectit Deum ad miſerendum multis medijs.* 1. *Ratione pœnarum quas ob eius peccata ſuſtinet.* Quoniam ſagittæ tuę. 2. *Ratione magni doloris ob eius culpas.* Non eſt ſanitas. 3. *Ratione curuitatis ad amorem terrenorum.* Miſer factus ſum, 4. *Ratione illuſionis in voluptate.* Quoniam lumbi mei. 5. *Ratione perditi dominij omnium rerum.* Afflictus ſum.

3 *Per inuocationem ad Deum explicat ſuæ conuerſionis deſiderium.* Domine ante te, *& in hac re explicat, quas ſuſtinet difficultates, tum in ſeipſo a ſeipſo.* Cor meum, *tum ab externis.* Amici mei.

4 *Petit diuinum auxilium in hac ſua conuerſione, quod pro certo tenet ex parte diuinę confidentia,* Quoniam ſperaui, *ex confutatione aduerſariorum.* Quia dixi, *& ex parte ſuæ ſatisfactionis, & contritionis.* Quoniam ego in flagella. *atque ex parte ſuæ confeſſionis, & curæ a reſiduo.* Quoniam iniquitatem meam.

5 *Petit præcipue diuinum auxilium, ne reincidat in peccata.* Ne derelinquas me.

Perſonæ. *Pſalmiſta, quæ in vero pœnitente ſint deſideranda, vt ad vomitum peccati ne amplius relabatur, omni quaque deſcribit, dum ante oculos nobis proponit eius animi afflictionem, ne contra eum audiat horribilem ſententiam, Ite maledicti, qua peccatores puniuntur irremiſſibiliter, & pœna damni, & pœna ſenſus, eo quia ſuis peccatis ab ipſo Deo fuerint auerſi, & ad mundana conuerſi. Sed omnibus medijs, quibus vti poteſt, vt diuinam miſericordiam ad ſe reconciliet, non dimittit referre, ut in partitione patet. Amplius addit ſuæ conuerſionis ad Deum animi promptitudinem, & deſiderium, quod negotium quantum ſit arduum atq́; difficile explicat ob difficultates, & interiores, & exteriores; contra quas diuinum petit*

auxi-

Digitized by Google

auxilium, quod in his conſiſtit, vt ad peccata amplius non redeat, idq́; obtinet, dum reſiſtere valet tentationibus, atq́; vt vtrumq́; perficiat, ſemper ei adſit diuinum adiutorium perſeuerantię.

Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me. Prima pars.

O Dñe, quo mærore läguet animus meus, quaue graui afflictione crucior & torqueor, me non latet, neq́; latere poteſt, dum certa fide cognoſco peccata mea tuo iudicio ſubijci examinanda, atq́; nequeam tuæ iuſtitiæ ſeueritatem effugere. Hac veritate inſtructus ad te mi Domine p hãc meã petitionẽ humiliter confugio, ut ne me punias pœna damni ſecundum rigorem tuæ iuſtitiæ, Ne in furore tuo arguas me; *quia tot annis a te fui auerſus, qui es ſummum, & perfectum bonum. Ne me punias pœna ſenſus sm̃ rigorem tuæ iuſtitiæ,* neque in ira tua corripias me. *quia innordinatis affectibus eo tempore fui conuerſus ad iſta caduca & mortalia bona. Neutro modo, te quæſo, mecum agas, quod eſt mihi penitus intollerabile, etſi in te peccauerim & formaliter, & materialiter.*

Quoniam ſagittæ tuæ infixę ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. Secunda pars.

Sed mi Domine, puni me ſecundum temperamentum tuæ miſericordiæ, quam mihi iudeor eſſe conciliandam, & primo ob cauſam, & cumulum tot aduerſitatum, & pœnarum, quas in hac vita ſuſtineo in uendictam peccatorum meorum; quibus aduerſitatibus ita sẽſibiliter premor, nõ aliter ac ſi eſſent Sagittę tuę infixę sũt mihi, *et in uulnus, poſtquam peccaui. Et eo magis ſis mihi facilis ad miſerendum* & confirmaſti ſuper me manum tuã, *quia ſagittæ tuæ in me profundius penetrarunt.*

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuę; non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorum meorum.

Præterea vtere mecũ miſericordia tua, & rõne magni mei doloris, quẽ interius ſuſtineo magis de culpa a me contra te commiſſa, quam de pœna mihi a te inflicta. Ratione namq́; tuarum in me pœnarum Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ; *at ratione mearum culparum* non eſt pax oſsibus *ac potentijs meis internis* a facie *& conſideratione* peccatorum meorum.

Digitized by Google

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſę ſunt caput meum ; & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

Et iuſta de cauſa multum dolere debeo de meis culpis, quoniam nō ſum ſufficiens ad ſatisfaciendum, tum ab earum numerum, tum ab earum grauitatem. Ecce multitudo, Quoniam iniquitates meę ſupergreſſæ ſunt caput meum ; *ita vt in illis ſim demerſus tanq̄ in profundo pelago. Ecce magnitudo.* & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. *vt nequeam ſuſtinere, ita illarum onere, & pondere oppreſſus ſum.*

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ; à facie inſipientiæ meæ.

Et de peccatis a me commiſſis uere multum dolui, ac etiam magis dolere debeo, quia dum noua perpetraui peccata, quodammodo redierunt peccata præterita in his, quæ poſtea commiſſi, non aliter, quam vulnerum cicatrices nouis plagis putreſcunt, & corrumpunt. Et totum hoc mihi euenit, à facie inſipientiæ meæ, *atq; propter meam inſipientiam, quia mihi tantummodo imputo recidiuationem in noua peccata.*

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem ; tota die contriſtatus ingrediebar.

Inſuper, & tertio ſis mihi clemens ad puniendum, quia mihi non deſunt aliæ calamitates, quas ſuſtineo propter peccatum, cum priuatus ſim reſtitudine ad cælum, & ad cæleſtia. Miſer factus ſum, *nempe, curuitate ad terram,* & curuatus ſum vſque in finem ; *dum per totum vitæ meæ tempus ad inordinatum terrenorum amorem ſim facilis, & inclinatus. Quas pœnas peccati conſiderans* tota die contriſtatus ingrediebar *ſuper iuſtitiam, nempe, tuam, vt ipſa incuruatio ad terrena, & tranſitoria ſit nobis pro graui pœna conſtituta.*

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus; & non eſt ſanitas in carne mea.

Adhuc mi Domine vtere mecum miſericordia tua, & quarto, cum pœna etiam mihi ſit, & grauis pœna ea illuſio voluptatis, quæ fit in ſomnis, quam euitare non valeo. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus; *nempe nocturnis, ex quibus caro dormiendo polluitur,* & non eſt ſanitas in carne mea. *etiam tempore ſomni. Quod equidem mihi valde diſplicet, & ſi non diſpliceret, eam pollutio-*

Digitized by Google

lutionem crederem approbare, ac ita peccatum incurrere.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei.

At quinto & vltimo, ſis mihi Domine placabilis in ira tua, dum alijs pœnis grauiter affligor ob peccata mea, tum quia ego amiſi dominium omnium rerum, Afflictus ſum, *tum quia ab omnibus dominor, moleſtor, ac lędor,* & humiliatus ſum nimis; *Quæ detrimenta conſiderans,* rugiebam à gemitu cordis mei. *quia dolorem intus exiſtentem celare non potui, ſed per ſigna exteriora tanquam rugitus leonum manifeſtaui.*

Domine, ante te omne deſiderium meum; & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Tertia pars.

O mi Domine, cui occulta cordium ſunt nuda, & aperta, tu ſcis, quæ ſit voluntatis meę terminatio, nempe vt toto corde ad te conuertar, & in poſterum tibi ſemper adhæream. Domine ante te omne deſiderium meum, *Pariter tu ſcis, quo dolore torqueor ob difficultates, quas in hac mea ad te conuerſione experior,* & gemitus meus à te non eſt abſconditus, *cum & multa ſint atq; difficiles, vt ſuperentur.*

Cor meum conturbatum eſt, derelinquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Et inter eas difficultates, quas in me experior in hac mea ad te conuerſione hæ pręcipue numerantur; nempe pronitas ad malum, diminutio naturalis inclinationis ad bonum, ac prudentiæ hebetudo in agendis. Ecce prima difficultas, Cor meum conturbatum eſt in me, *cum pronitas ad malum ob mea peccata facilior, ac propenſior ſit facta ad peccandum. Ecce ſecunda difficultas.* derelinquit me virtus mea, *cum naturalis inclinatio ad virtutem, quæ mihi conuenit, eo quia ſum rationalis, magis ſit diminuta ob peccata, ſtāte ea regula, cum aliquis inclinatur ad vnum contrarium, diminuitur inclinatio illius ad oppoſitū Ecce tertia difficultas,* & lumē oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. *quia prudentia, quæ eſt lumen & habitus intellectus tam ſpeculatiui, quam actiui, qui ſunt oculi mei,* & ipſū non eſt mecum, *vt ſit regula per cognitionem, & operationem humanorum actuum, ſed ob peccata mea hebebatur, & in rebus vere cognoſcendis, & in rebus recte operandis.*

Amici mei, & proximi mei; aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt.

Non deſunt & aliæ difficultates, quibus exterius impedior, ne deguſtare valeam ſuaues pœnitentiæ fructus, & hæ pariter multæ ſunt; & primo ſuſtinui contra me impugnatores ad bonum; Nam homines per quandam cognationem coniuncti Amici mei, *& homines per cohabitationem vniti*, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, *vt ijs non intenderem, quæ mihi pro ſalutis ingreſſu & progreſſu ſunt neceſſaria; atq; in eorum impugnationibus pertinaci, & indurato animo* ſteterunt, *vt nulla ratione aggrederer, quę mihi firmiter propoſui in hac mea ad te conuerſione.*

Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt; & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Secundo alios ſuſtinui non equidem impugnatores mei ab bonum, ſed deſertores mei in bono. Nam qui ante peccata me in bono dirigebant, & confortabantur, Et qui iuxta me erant, *de ſalute mea parum poſtea curarunt*, de longe ſteterunt, *me deſerendo, & me deſtituendo ſuis conſilijs. Sed adhuc, & tertio alios ſuſtinui qui mihi grauioris erant impedimenti, nam mihi* vim faciebãt, *& me atterebant ob difficultates, quas iuſti in ſancto Dei ſeruitio experiuntur, ac ita* quærebant animam meam, *vt rerum difficultate eorũ voluntati condeſcenderem.*

Et qui inquirebant mala mihi, loquuti ſunt vanitates; & dolos tota die meditabantur.

Quarto ſuſtinui alios aduerſarios, qui me aſperis non atterebant, ſed carnis illecebris, & mundi voluptatibus allicere conabantur, vt eorum malis ſuaſionibus aſſentirer; & hi pariter in hac mea ad te conuerſione inquirebant mala mihi, *& lingua, & corde. Lingua*, loquuti ſunt vanitates, *dũ ad illicita carnis, & mũdana me allicere tentabant; corde*, & dolos tota die meditabantur. *qui multa machinati ſunt, vt me aliqua ratione deciperent, ita animo in udo tabeſcentes, ne ad vera ſalutis itinera accederem, aut peruenirem.*

Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum:

At ego, mi Domine, quæ per me potui operatus ſum, & contra impugnationes ſalutis, & contra impugnatores meæ ſalutis. Contra horum

rum varias tentationes patientia munitus fui, & animo & lingua; animo, Ego autem tamquam ſurdus non audiebam; *diſſimulaui me audire aut eorum terrores, aut eorum blanditias; lingua patiens,* & ſicut mutus non aperiens os ſuum; *non tantum diſſimulaui me non audire, ſed nec poſſe loqui.*

Et factus ſum ſicut homo non audiens; & non habens in ore ſuo redargutiones.

Et contra impugnatores, & contradictores eadem manſuetudine, & patientia protectus virtuoſa diſſimulatione fui ſurdus, & mutus. Fui ſurdus, factus ſum ſicut homo non audiens *hos impugnatores, & inuidos; fui mutus,* & non habens in ore ſuo redargutiones, *cum tamen potuerim illos faciliter ac viriliter confutare, atq; penitus expugnare.*

Quoniam in te Domine ſperaui; tu exaudies me Dominus Deus meus.

Quarta pars

At mi Domine, cum in hac mea ad te mutatione a multis ſim impugnatus, & varijs etiam medijs aut deprimere aut emolire me cogere voluerint, ne ad te accederem, attamen ad te ſolum confugio pro auxilij mei impetratione, & toto corde te precor, qui es Dominus meus *redemptione &* Deus meus *creatione* vt exaudias me, *& has meas poſtulationes pro mea ad te ſalute. Idq; tibi audeo dicere eſſe faciendum,* quoniam ſperaui in te, *in his meis contradictionibus, & impugnationibus, vt nulla ratione ad te accederem, ſicuti maleuolo animo contra me intendebant.*

Quia dixi, Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei; & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna loquuti ſunt.

Et non tantum ex parte mi exaudi mei Domine, quoniam ſperaui in te, ſed etiam exaudi me ex occaſione inimicorum meorum, ne vnquam gaudeant ſuper me, tum de culpis, tum de pœnis meis. Quia dixi, *nempe, tibi in oratione mea,* Nequando ſupergaudeant me inimici mei; *& hoc mihi valde eſt neceſſarium, quia hi inimici contra me ſunt valde impij,* & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna loquuti ſunt, *dum, nempe, vident me a propoſito aliquo modo moueri, aut a rectitudine iuſtitiæ aliquatenus declinare ob humanam imbecillitatem, ſtatim exprobrant & me illudunt, vbi eſſet miſerendum; cum ſenſualitas imperio rationis in hac*

vita

Digitized by Google

vita neque ſemper neque penitus ſubijciatur.

Quoniam ego in flagella paratus ſum; & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Tertio oro te, & exaudi me Domine Deus meus, ob promptitudinem meæ ſatisfactionis, & ob dolorem meæ contritionis. Ecce ſatisfactio, Quoniam ego in flagella *ſuſtinenda* paratus ſum; *quæ Dominus voluerit mihi inferre tanq; dulcis pater. Ecce contritio,* & dolor meus in conſpectu meo ſemper. *quotieſcunque peccata mea meæ ſe offerrant memoriæ, ſemper enim dolebo me aliquando peccaſſe.*

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo; & cogitabo pro peccato meo.

Atq; ob meam confeſſionem de præteritis, & ob cautionem & curam a futuris exaudi me Domine. Ecce confeſſio. Quoniam iniquitatem meam annunciabo *tum vera & ſincera oris confeſſione, tum etiam pijs ſacrificijs, quæ pro peccatis offerri ſolent. Ecce diligentia cauendi a futuris,* & cogitabo pro peccato meo, *ne amplius in idem, vel in aliud reincidam.*

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me; & multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.

Idq; magnæ curæ mihi eſſe agnoſco, vt a peccatis caueam, propter inimicos meos, & incentores ad malum. Qui multum a me timendi ſunt, primo, quia omni tempore, & omni loco ad omne malum intendunt contra me. Inimici autem mei viuunt. *ſecundo, præcellunt me potentia, aſtutia, labore* & confirmati ſunt ſuper me. *tertio, ſunt in magno numero.* & multiplicati ſunt *quarto, ſummo odio me perſequuntur.* qui oderunt me *& vltimo ſine aliqua cauſa me odiunt* inique, *ex praua voluntate.*

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam ſequebar bonitatem.

Similiter, & mei impugnatores contra bonum ſunt valde timendi. Nã et hi, Qui retribuunt mala pro bonis, *dum homines tentant, vt faciant mala, & omittant bona* detrahebant mihi, *mordacibus & falſis linguis; & cauſa tanti odij, & detractionis tantummodo fuit,* quoniam ſequebar bonitatem, *cuius bonitatis pulchritudo ſemper illis inuiſa fuit, vti inuiſa pariter illis fuere omnia bona, quæ agebam.*

Digitized by Google

Ne derelinquas me Domine Deus meus; ne diſceſſeris à me *Quam bonitatem vt facile ac tuto ſequar, præſta mihi auxilia diuinæ gratiæ; primum, vt me cuſtodias a peccatis, ne illa amplius committam,* **Ne derelinquas me Domine** *quod equidem conſequar cum facies, vt ego te prius non derelinquam, idq́; vt efficere valeam ſecundum a te imploro auxilium,* **Ne diſceſſeris à me.** *ne me ad modicum dimittas, vt tentationibus tua gratia reſiſtere valeam; cũ maxima ſit fragilitas humana ratione carnis nondum ſanatæ.* Quinta pars.

Intende in adiutorium meum; Domine Deus ſalutis meæ. *Sed etiam pro tertio fauore, qui eſt ſummus inter fauores, diuturnum ſit mihi tuum auxilium vt in ſtatu gratię valeam permanere;* intende, *propera, & feſtina* in adiutorium meum, *ita peto a te,* Domine Deus ſalutis meæ, *Qui es Dominus, a quo eſt ſalus mea, qui es Deus, in quo eſt ſalus mea; a te efficienter eſt ſalus mea ad vitam æternam, in te obiectiue eſt ſalus mea in vita æterna. Tu principium, tu finis es ſalutis meæ.*

Sacroſanctæ, & Indiuiduæ Trinitati ſit omnis laus honor
& gloria, nunc, & in perpetuum, cuius diuino fauore
in publicum & ceterę elucidationes
apparebunt.

Digitized by Google

Emendatio errorum.

pag.	Errata.	Correctio.
2	*caciderunt*	*ceciderunt*
	humllter	*humiliter*
3	*conſequturum*	*conſequuturum*
	ad illa	*ad illam*
4	*& pæne*	*pœnæ*
	dignus	*dignius*
5	*Eſſnetię*	*Eſſentiæ*
	neruar	*ne ruar*
	imanginem	*imaginem*
6	*me impellant*	*impellant*
7	*amplectare*	*amplectere*
	næmpe	*nempe*
	nec &	*nec non &*
8	*ſuſcipiſſe*	*ſuſcepiſſe*
	Benedictus *poſtea*	Benedictus Dominus *poſtea*
9	*deſcendere*	*deſcendere & ibi non detineri*
	a mortuis reſurgere	*a mortuis reſurgere ut victor mortis*
	ttahas	trahas
	effugerem	*effugere*
10	*tam ego*	*eram illorum*
	doloritates	*doloſitates*
	ire impunitas	*iri impunitas*
	ipſorum ipſis	eorum ipſis
	deſtrues	deſtrue
11	deſtrues eos	deſtrue illos
	meuum	*meum*
12	*& meritisq́, ditentur*	*meritisq́, ditentur*
	filij Dei afferte	filij Dei; afferte
	proſumitis	*præſumentes*
	oblatio baptiſmi	*ordinatio baptiſmi*
	cædros	cedros
20	*efficienso frmalis*	*efficiens formalis*
22	*corpore meo*	*corpore & animo meo*
29	*reuocant animam*	*reuocant animum*
30	*cuius mea*	*cauſa mea*
33	*deponita*	*deponite*

M

Digitized by Google

pag.	Errata	Correctio
34	veſtnm	veſtrum
35	*conuerſſionem*	*conuerſionem*
36	*ſemper ſine,*	*ſemper, at ſine*
37	*eſt in commutatio*	*eſt commutatio*
39	*ac orpore,*	*ac torpore*
40	ſperantes	ſperantem
	adopto	*adoptio*
	ipſam Deum	*ipſum Deum*
41	miſaricordia	miſericordia
49	*decaſto*	*de caſto*
50	*irrerer*	*vrerer*
	qua vobis	*quia vobis*
55	*cum timentes*	*eum timentes*
	mulrx	multæ
58	*ſapius orauit*	*ſæpius orauit*
	mun ite	*muni te*
	diſſenſiuis	*defenſiuis*
59	mih	mihi
61	*deteniar in mor te*	*detinear in morte*
	iucundabant	*iucundabunt*
62	*intetrogabant me*	*interogabant me*
	veræ formæ oĩs	*veræ formæ, & materiæ*
	ex parte materiæ	*ex parte animi*
	capita	*corpora*
64	*franduerunt*	*frenduerunt*
	immortalibus	*immortalis*
65	*gloriæ pr̃is*	*gloriam patris*
	perſequuti ſunt	aduerſantur mihi
66	*me perdere in cruce*	*me pendere in cruce*
69	*reprehenſiblis*	*reprehenſibilis*
70	*cum decipere*	*cum decipere*
	verbæ illius	*verba illius*
75	*atq; omnibus*	*atq; ab omnibus*
76	*eam & ipſi*	*cum & ipſi*
	extirpandæ	*extirpanda eſt,*
87	*proſperati*	*proſperitati*
91	derelinquit	dereliquit
94	*oſſerrant*	*offerant*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA